

Biblioteca
ASTRA, Sibiu

P.C.N. 17

92 05

SII 1272


8

491

J. Bennitius semes Provincia
Bovarica flumnes.

2. 50

©



QUÆSITA

THEOLOGICO-SPECULATIVA
DE

HOMINE

In Statu naturæ puræ, integræ, ac
lapsæ
considerato

Ad mentem Doct. Subtilis

JOANNIS DUNS SCOTI

Efformata

ac

Sub Comitij Provincialibus in Conven-
tu Augustano FF. Minorum Recollectorum An-
tiquissimæ Argentinensis Provinciæ ad Festum Pente-
costes celebrandis publicæ Disputationi

exposita

PRÆSIDE

F. RODERICO SCHNABL

in Conventu Salisburgensi ad D. Virginem
Assumptam SS. Theol. Lect. Ordinario

Defendente

F. HIERONYMO FORDENBACH

SS. Theol. Candidato.


Anno Christiano M. DC. LXXXVI. ad diem
Mensis Junij,

SALISBURGI,

Typis JOANNIS BAPTISTÆ MAYR, Ty-
pographi Aulico-Academici.



391



SANCTISSIMO
SPIRITUI

Tertiae in Divinitate Personae
SPIRITUI

Sapientiae & intellectus
Consilij & Fortitudinis
Scientiae & Pietatis.

SPIRITUI

Timoris Domini
Gratiae & Misericordiae
Pacis & Charitatis.

SPIRITUI

Infallibili Ecclesiae Rectori
Sanctissimo Theologorum Doctore
Docenti nos omnem Veritatem,
qui
Bonitate replet orbem terrarum,
Pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus,
Per quem diffusa est Charitas Dei in
in cordibus nostris,
Dividitque singulis pro ut vult &c.


Humillima & Simpliſſima
devotione

D. D. D.



APPROBATIO

Facultatis Theologicae.

 Uæsita hæc Theologica de triplici Hominis statu, *Naturæ puræ*, *integre*, ac *lapsæ* sine labe in moribus, sine lapsu in orthodoxâ Fide, cum subtili Doctore subtilissimè resolvuntur.

P. MAURUS LIECHTENHAIMB,
Benedictinus, in Lib. & ex
Monasterio ad S. Lambertum
Professus SS. Theol. Doctor,
Professor Ord. & p.t. Ejusdem
Facultatis Decanus.



H O M O

*In statu naturæ puræ con-
sideratus.*



Um homo omnium prorsus creatura-
rum, quas in hoc visibili mundo Ma-
gnificus Opifex Deus formavit, sit
maximum artefactum, ut adeo ipse
Aristoteles summâ quâ potuit mentis

acie percunctatus hominem, dixerit: *omnium, qua
mirari possunt homines, maxime præ cæteris mi-
randus est ipse homo; & Plato I. de leg. homo ut mi-
raculum quoddam divinum in animantium gene-
re habetur, quia creaturarum omnium est inter-
nuntius; superis & inferis familiaris; naturæ in-
terpres, mundi interstitium sive copula.* Trismeg-
gistus ipse Dialog. 10. in Pymandro hominem ap-
pellat: *Magnum miraculum, animal adorandum
& honorandum, quod in naturam Dei transit,
quasi ipse sit Deus &c.* Magnum inquam miracu-
lum est homo, utpote totius naturæ epitome ac fi-
nis; adorandum animal, utpote *in terra mortalis
Deus,* ait Trismegistus, *Deus verò in cælo immor-
talis homo;* honorandum, utpote mundi Rector

2 *De homine in statu naturæ puræ.*

& Dominus. Porrò hoc tam mirabile artefactum homo potest considerari in quintuplici statu, scilicet in *statu naturæ puræ*, in quo homo possideret omnimodam suam perfectionem naturalem, scilicet substantiam undequaque completam, potentias operatrices expeditas, paratum concursum Authoris naturæ ad operandum, nec tamen per gratiam ad altiorem ordinem promoveretur, nec per peccatum Originale deprimeretur, sed sibi ac viribus, suisque naturalibus dotibus relinqueretur, nec ullis alijs defectibus subjaceret, ac ijs, qui ex corporis & animæ constitutione naturaliter oriretur v. g. infirmitas, mortalitas, ignorantia &c. *In statu naturæ integræ seu innocentis* in quo homo ultra suam naturalem perfectionem possideret plura alia beneficia gratuita in corpore & anima scilicet mortis & morbi carentiam, gratiæ sanctificantis & supernaturalium virtutum infusionem, uti & multorum aliorum charismatum cælestium collationem, quorum omnium diversorum donorum collectio *justitia originalis* appellatur; *in statu naturæ lapsæ*, in quo homo propter peccatum integritate & justitiâ originali est privatus; *in statu naturæ reparatæ* per gratiam scilicet & Sacramenta à Christo instituta; *in statu denique naturæ glorificatæ* per intuitivam scilicet Dei visionem & fruitionem beatificatæ; in præsentiarum verò ad rem solum facit considerare hominem in *statu naturæ puræ, integræ, & lapsæ*; unde sit.

QUÆSITUM I.

An sit possibilis status Naturæ puræ, in quo Homo potuisset poni?

DICO I. Potuisse hominem à Deo formari & poni in statu naturæ puræ, est Ecclesiastica veritas. Frassen Tract. 3. d. 1. q. 1. Amicus d. 26. de necessitate gratiæ Sect. 1. à n. 14.

Prob. Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. damnant varias propositiones à Michaële Bajo sive scriptis sive verbis evulgatas & propugnatas, ex quibus ordine 21. est hæc: *Humana natura sublimatio & exaltatio in consortium divine naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.* 23. *Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali & gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret.* 55. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis hodie nascitur, puta sine justitia originali.* 75. *Falsa est Doctorum sententia primum hominē potuisse à Deo creari, & institui sine justitia naturali.* Ergo Pontifices prædicti manifestè declarant propositiones illis contradictorias si non de fide, saltem quod fidei sint affines, adeoque sint ortho-

4 De homine in statu naturæ puræ &c.

doxæ seu Ecclesiasticæ veritatis: atqui propositiones contradictoriæ omnes includuntur & fundantur in hoc: potuisse hominem à Deo formari, & poni in statu naturæ puræ: ergo &c.

DI CO II. *Potuisse hominem à Deo formari & poni in statu naturæ puræ, est manifesta veritas à SS. Patribus præsertim Augustino passim supposita.*

Prob. S. August. lib. 3. contra Maximinum c. 15. affirmans; hominem ad similitudinem Dei formatum, dicit: ideo fieri gratiâ Filium Dei, quia non est naturâ: at si gratiâ fit Filius Dei non naturâ, tunc hoc non erit illi connaturaliter debitum; cum implicet aliquid esse gratuitum, & esse naturæ debitum: ergo potuit homo formari & poni in statu naturæ ab omni peccato puræ, & tamen sine tali dono, scilicet Filium Dei fieri. l. 6. de Gen. ad lit. c. 27. dicit: posse non mori, præstandum fuisse Adamo de ligno vite, non de constitutione naturæ: ergo immortalitas primi hominis solummodo fuit gratiæ beneficium & non naturalis conditio. lib. 4. contra Julianum c. 16. dicit: gratiam Dei magnam ibi fuisse, ubi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat: ergo integritas naturæ humanæ in puncto suæ creationis, seu effrænis concupiscentiæ carentia, ut ajunt adversarij, non fuit naturalis ejus conditio, sed gratuitum Dei beneficium. Deinde Angeli, esto nunquam fuerint infecti originali peccato, tamen juxta S. Augustinum

num

num potuerunt creari sine gratia: cur non & primus homo? *ant. prob. l. 22. de Civit. c. 9.* affirmat, Deum in Angelis condidisse *naturam*, & esse largitum *gratiam*; subdens ibidem ad Angelos tunc pertinuisse, quod jam de hominibus dicitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*: at quomodo ad Angelos potuisse pertinere intelligatur illa sententia, nisi prout defacto intelligitur *gratuitò diffundi charitas* beneficio superaddito naturæ, ita & tunc? quomodo *per Spiritum S.* si natura secum traxit invitam accipiendæ illius necessitatem? quomodo tandem *per Spiritum qui datus est*, si nihil propriè & per se datum est, nullaque intervenit peculiaris ratio beneficij ac doni gratuiti, præter illam, quæ includitur in creatione naturæ? ergo &c.

Confirmatur S. Augustinus lib. 13. Confess. c. 2. 3. 4. de Angelorum creatione loquens, distinguit duplicem erga eos Dei actionem, unam, quam vocat creationem naturæ, seu ut ipse loquitur, *inchoationem creaturæ spiritualis* per quam habebat, *ut saltem tenebrosa fluitaret similis abyssò, Deo dissimilis*: id est: per quam habebat, ut existeret, sed sine spiritualibus ornamentis; alteram, quam vocat *largitionem gratiæ* seu illuminationem, per quam intellectualis illa creatura accepit hæc supernaturalia ornamenta, & gratiæ splendore illustrata fuit; atque de hoc, inquit S. Augustinus, intelligenda esse hæc verba Dei

6 De homine in statu naturæ puræ.

loquentis: fiat lux & facta est lux, hoc, pergit Augustinus, intelligo de creatura spirituali, quia erat jam qualiscunque vita, quam illuminares, sed sicut non te promeruerat, ut esset talis vita, quæ illuminari posset; ita nec cùm jam esset, promeruit te, ut illuminaretur; ut & quod UTCUNQUE VIVIT, & quod BEATE VIVIT, non deberet nisi tue gratiæ; quibus apertè designat, utrumque Deo perinde facile & arbitrarium fuisse, scilicet & Angelos in ipsorum nihilo improductos relinquere, & productos, denegato lumine gratiæ, in naturalibus tenebris informes relinquere: ergo gratia non fuit Angelis connaturalis: ergo minus homini.

DICO III. Potuisse hominem à Deo formari & poni in statu naturæ puræ est Theologica veritas. Scotus 2. d. 28. q. un. n. 7. Macedo Tom. 2. Collat. 8. diff. 4. Suarez. Tom. 1. de Gratia. Broudinus à nullo Scotista negari testatur, excepto nostro Illustrissimo Fratre Conrio Tuomonensi olim Archi-Episcopo.

Prob. Status naturæ puræ dicit tria: hominem v.g. pollere omnimodâ perfectione naturali, facultatibus ad operandum expeditis, concursu Authoris naturæ parato & naturaliter debito: item non esse illustratum ullis supernaturalibus donis, esse verò immunem à peccato originali, omnibusque pænis ex eo promanantibus: at ex nullo capite dicit implicantiam, quo minus creatura rationalis posset à Deo poni in tali statu;

non quidem ex primo, quia defacto Deus omnes naturas suis omnibus numeris absolutas condidit; *nec ex secundo*, quia cum dona supernaturalia sint naturæ indebita, sitque solius gratuitæ liberalitatis divinæ naturam rationalem illustrare iisdem, eò ipso poterit Deus ab eorum collatione liberè abstinere, sicque non illustrare; *neque ex tertio*: quia Protoparentes nostri defacto fuerunt à Deo conditi originalis peccati expertes: ergo. &c. *Deinde* dona supernaturalia gratiæ & gloriæ, quibus creatura rationalis ordinatur ad finem supernaturalem non respiciunt ejus potentiam naturalem, sed obedientialem, quâ subditur Deo ad recipiendas formas ordinis supernaturalis: at Deus ordinario operandi modo non tenetur tribuere creaturæ rationali etsi à peccato originali immuni ea, quæ per solam capacitatem obedientialem potest recipere, cum id modum agendi præter naturalem attineat, nec creatura ad ejusmodi formas per capacitatem obedientialem recipiendas naturaliter ordinatur; aliàs illa capacitas non obedientialis, sed naturalis esset; atque adeò ejusmodi dona creaturæ rationali generaliter non sunt debita. *Denique* solus Dei Filius est naturalis Dei Filius, cæteri & homines & Angeli, quantumvis innocentes, sunt solum Filij Dei adoptivi, hi autem ratione nativitatis nullum jus habent, sed solum ratione gratuitæ liberalitatis, tum ad hæreditatem, tum ad ea, quæ ad hæreditatem spectant, adeoque nec Angeli nec homines, quan-

8 De homine in statu naturæ puræ &c.

tumvis peccati expertes, ex natura sua habent jus ad intuitivam Dei visionem, quæ est ipsorum hæreditas, nec consequenter ad gratiam, aliâque dona supernaturalia ad illius hæreditatem consequentia. Atque ex hinc.

Infertur pro statu naturæ puræ creaturam rationalem ultimâ ad solam beatitudinem naturalem ordinandam fore, quæ beatitudo consisteret in perfecta & suavi contemplatione Dei cœ Authoris naturæ, non quidem pertingendo ad intuitivam & claram illius visionem, sed solum abstractivè cognoscendo eundem cognitione ex creaturis emendicata præsertim ex substantijs separatis & spiritualibus; atque talis contemplatio esset radix & incentivum amoris naturalis Dei ac reliquarum virtutum naturalium moralium, quæ homo naturaliter capax esset, & quibus posset assequi ea bona, quæ naturalem animæ & corporis sanitatem ingenitumque beatitudinis appetitum explerent. Post hæc

Petes: quid creaturæ rationales, puta homines, in statu naturæ puræ agerent?

Resp. Generarent, colerent agros, plantarent vineas, biberent, comederent, ædificarent sibi domos & civitates, statuerent leges civiles, secundum quas virtuosè & pacificè viverent, applicarent se studio rerum naturalium; ac tandem resolutis corporibus animæ eorum (ut putat Broudinus) volarent, quò liberet intra hujus corpori mundi ambitum, contemplan-do & speculando

Iam mirabilia opera Dei, quousque eidem placeret aliter de illis disponere.

QUÆSITUM II.

Qualis fuisset status Naturæ puræ, in quo Homo poni potuisset?

Dico I. Homo in statu natura pura positus ex se & intrinsecâ suâ naturâ fuisset subiectus diversis defectibus physicis seu merè naturalibus, ut puta infirmitatibus, doloribus, aliisque variis miseriis corporalibus, quin & ipsi morti. Scotus 2. d. 19. q. un. n. 3.

Prob. Doctor Subtilis docet: quod licet primi parentes, stante innocentia, divino beneficio fuissent immortales, ex suæ tamen naturæ constitutione potuissent mori; cum homo in statu innocentia fuerit ejusdem naturæ, cujus est modo, quantum ad subjectum & qualitates connaturales: ergo sicut modo habet partes contrarias, ex quarum mutua actione & pugna potest deficere, ita & in statu innocentia potuisset mori, nisi per esum ligni vitæ, ipsius natura fuisset ex integro restituta: ergo magis fuerit homo mortalis in statu naturæ puræ. Deinde S. Augustinus 7. de Gen. ad litt. c. 25. *Corpus Adami ante peccatum, ET MORTALE ERAT, QUIA POTERAT MORI, & immortale, quia poterat non mori; aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus, aliud est autem*

A 5

posse

10 De homine in statu naturæ puræ.

posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei præstabatur

DE LIGNO VITÆ, NON DE CONSTITUTIONE NATURÆ, subdit: *mortalis ergo erat* CONDITIONE CORPORIS ANIMALIS, *immortalis autem* BENEFICIO CONDITORIS. Denique corpus humanum est compositum ex elementis continuo inter se pugnantibus, adeoque tandem corpus humanum intrinsecâ exigentiâ consumentibus: ergo &c. quin imò immortalitas corporis non est secundum naturam hominis, sed præter, siquidem secundum naturam sit corpus mixtum, vivens & sentiens, at verò quod est tale, secundum naturam habet, quod sit corruptibile. ergo.

Confirmatur: Si homo connaturaliter & intrinsecè esset immortalis, incongruè Deus promississet homini immortalitatem ceu præmium obedientiæ, & mortem fuisset frustra comminatus, ceu justam inobedientiæ pœnam, quia propter peccatum, nil quod est homini naturale fuit sublatum aut diminutum: ergo &c. De alijs miseris merè naturalibus scilicet de varijs infirmitatibus, doloribus &c. quibus affici posset homo in puris naturalibus, ex dictis per se sequitur.

Respondent: Mors non à Deo, sed à peccato est, ut constat ex *Sap. 1. & 2. c.* ac *Rom. 6.* *Contra*: Scriptura in dictis, aliisque similibus locis, loquitur de natura hominis jam lapsa, non verò quatenus esset in statu naturæ puræ dono innocentiae & peccato privata. Neque Deus ordina-

tæ suæ providentiæ conformiter in statu naturæ puræ teneretur actionem causarum naturalium impedire, ne corpora ex natura sua defectibilia non deficient

DICO II. *Homo in statu naturæ puræ positus (1.) potuisset laborare ignorantia (2.) & agitari motibus concupiscentiæ.*

Prob. tota simul: tum quia' omnis nostra cognitio pendet à sensibus, qui spiritualia non percipiunt, nec rerum essentias penetrant, hinc est in multis caligare & deficere naturalem rationem, multisque ignorantibus & erroribus laborare; tum quia contrarietas & pugna appetituum in homine sequitur naturaliter ex intrinseca constitutione ipsius, eò quod constet parte spirituali & corporeâ, quarum illa cælestia, hæc terrena sapiat; unde homo in statu naturæ puræ conditus, (ut notat Frassen hic folio 247. ex S. Augustino) non posset rebellantes motus appetitûs sensitivi comprimere & vincere absque speciali Dei quâ authoris naturæ auxilio, intra scilicet ordinem naturæ, quod auxilium, etsi in tali statu foret indebitum homini, tamen in sua entitate naturale esset, eò quod homo pro illo statu non ordinaretur ad finem supernaturalem, sed solum ad Deum quâ authorem naturæ, ceu objectum suæ beatitudinis per cognitionem & amorem naturalem possidendum, dirigeretur. Ex quibus tamen.

Infertur etsi homo in statu naturæ puræ positus quibusdam naturalibus defectibus & miseriis subjectus esset, nihilominus homo aliis suis nativis &

12 *De homine in statu naturæ puræ &c.*

& ingenitis dotibus cæteras creaturas corporeas multum excedit, tum quia omnium creaturarum postremus ipse est conditus tanquam aliarum omnium rerum corporalium Princeps & Monarcha, cujus gratiâ facta sunt universa, & aliàs, quæ sunt ordine generationis posteriora, sunt perfectiora; tum quia homo aliter & nobiliori apparatu quàm cætera entia corporea fuit constitutus; nam ad aliorum formationem Deus absolutæ suæ divinæ voluntatis imperio usus *dixit & facta sunt*; ad hominis verò creationem tanquam ad exquisitum & majoris industriæ ac sapientiæ opus consultationem ac per prius consilium adhibet dicens: *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; tum quia cæteras creaturas dicitur Deus fecisse, aut creâsse, hominem verò formâsse, quod ita Severianus hom. 5. expendit: *non dixit simpliciter fecit, sed finxit, vel formavit: porrò formatio elegantiam ac venustatem indicat*; de quo S. Prosper ita cecinit:

- - - *Cùmque omnia verbo*

Conderet: hanc manibus quo plus Genitoris haberet,

Dignatur formare suis - - -

Tum quia homo præ cæteris creaturis corporeis unicus Dei similitudinem & imaginem refert, unicus divinorum operum Deitatisque contemplator existit, habétque summum cum Divinitate commercium; tum quia homo omnium entium, tum corporeorum, tum spiritualium præcellentias

com-

complectitur, propterea vulgo *Microcosmus* seu mundus compendiatus dicitur.

QUÆSITUM III.

Quale esset corpus humanum, si homo in statu Naturæ puræ fuisset Positus?

Dico I. *summa corporis humani in suo primordiali statu considerati prerogativa est, fuisse præ cæteris omnibus corporeis rebus, speciali Dei opificio veluti propriis ac divinis ejus manibus formatum.*

Prob. S. Ambrosius in Psal. 118. Octonario 10. commentans in illa verba: manus tue fecerunt me &c. sic dicit: bestias non fecerunt manus tue, sed dixisti: PRODUCANT AQUÆ REPTILIA ANIMARUM VIVENTIUM, ET PRODUXIT TERRA SECUNDUM GENUS QUADRUPEDIA, ET REPTILIA, ET BESTIAS TERRÆ; me autem, inquit, fecisti, me tuis manibus figurasti; hoc est non figurasti bestias manibus tuis, non reptilia, non volatilia; & infra: MANUS, inquit, PLASMAVERUNT ME, manus, dicit pluraliter, non manu; at verò alibi ait: EGO MANU MEA SOLIDAVI CÆLUM, ET MANUS MEA FECIT HÆC; in hominis constitutione videtur non abundare, quod toti mundo, ut fieret, abundavit; Cælum una formavit manus, ut scriptum est, & utraque Dei manus homi-

14 *De homine in statu Naturæ puræ.*

hominem figuravit, ut legimus, quibus clarè exprimitur, quanta sit humani corporis præ cælesti dignitas; cum ad cæleste corpus efformandum Deus manum unicam admoverit, uti & ad cætera corpora, imò & spirituales Intelligentias, ad formandum verò humanum corpus manu duplici adlaboravit, non quidem duabus manibus veris & corporeis (quidquid Tertullianus hîc senserit, putans, Deum induisse corporis effigiem, ut humanum corpus effingeret) sed manibus mysticis, hoc est, speciali divinæ sapientiæ & omnipotentiae expressione; his namque duabus præcellentiss, sapientiâ nimirum & potentiâ, Deus cuncta sua opera veluti manibus molitur & elaborat.

DICO II. ipsa humani corporis ex- & interior figuratio seu fabrica excellit figuratorem seu fabricam omnium cæterarum rerum corporearum.

Prob. S. Ambrosius in Ps. 118. Octonario 10. Fabricam ipsam humani corporis, si quis considerare velit, inquit, nil poterit in terra pretiosius judicare; est enim homo staturâ celsus, vultu decorus, cæsarie gratus, non in alvum cæterorum more curvatus animalium, sed ipso naturæ jure sublimis, qui in celum libero spectet obtutu, nullâ captiva servitute cervicis depressus in terram, sed tanquam propriæ conscius libertatis, & locuples sui testis authoris; atque quod hîc generatim dicit S. Ambrosius hoc singillatim & pulcherrimè dicit lib. 6. Hexameron. c. 9.

DICO III. *Maxima humani corporis in suo primordiali statu considerati prerogativa est, fuisse cum anima rationali immortalis unitum.*

Prob. tum quia pro statu naturæ humanum corpus ratione sui unionis cum anima rationali præcellit omnibus cæteris rebus corporeis; tum quia pro statu gratiæ, sanctificans gratia informat animam, quæ incentiva corporalium vitiorum reprimat, ipsius passiones ordinat, motusque omnes non solum ad rationem, sed etiam ad sanctitatem dirigit & componit; tum quia pro statu gloriæ humanum corpus ob sui unionem cum anima rationali fit capax percipiendæ beatitudinis æternæ; imò unio animæ rationalis cum corpore fuit veluti delineatio futuræ unionis beatificæ, nec non & conjunctionis hypostaticæ: ergo &c. Ex hinc tamen.

Infertur nihilominus humanum corpus esse convenientius formatum ex materia elementari quam cælesti; tum quia homo idcirco conditus fuit, ut multa cognosceret, non solum cognitione intellectivâ, sed & sensitivâ, propterea habere debuit corpus multiforme ex diversis constans organis, ut diversi sensus ad varia objecta cognoscenda deservirent; tum quia corporeæ creaturæ homini inferiores factæ sunt, ut ipsi deservirent ad suum finem assequendum, etiam ille formari debuit ex materia composita; tum quia sicut facta est quædam creatura rationalis propè Deum in loco supremo, scilicet in empyreo, sic debuit fieri alia
cre-

16 *De homine in statu naturæ integræ &c.*

creatura rationalis in loco infimo, scilicet terra, & ideo corpus ejus constitui debuit ex natura tali habitationi convenienti; tum denique quia sic oportuit hominem subjici Deo, quatenus per humilitatem subjectionis ascenderet, unde angelus per sublimitatem elationis ceciderat; ad quos omnes fines debuit corpus humanum fuisse compositum ex materia terrea seu elementari, & non cælesti, seu simplici.

H O M O

*In statu Naturæ integræ
consideratus.*

ID ipsum nobis hodie, quod olim judæis in Captivitate Babylonica lugentibus obtigerat; toties soluebantur in ejulatus & fletus, quoties præsentium ærumnarum pondere gravati dulcissimæ suæ Patriæ & pristinæ fælicitatis memoriam refricabant; *super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion. Ps. 136.* hæc eadem est nostra lugenda sors, dum primævæ nostræ innocentia, ejusque dulcissimi ac beatissimi status jacturam in mentem revocamus, & quis talia fando à lachrymis temperet? *homo cum in honore esset, non intellexit.* Sed nihilominus elapsæ fælicitatis alioquin solum meminisse juvat, ideo non ingratum, nec injucundum erit beatissimam illam hominis pro statu innocentia sortem ob oculos ponere.

QUÆSITUM I.

*Quid, & qualis fuerit Pa-
radisus.*

DICO I. *Paradisus, in quo Adam positus erat, fuit verè realis locus, adeoque visibilis & corporeus, non verò spiritualis & mysticus. Communissima Theologorum & SS. PP. contra Origenem.*

Prob. c. 2. Gen. ait Moyses: Paradisum plantatum à principio, seu ut 70. vertunt, ad Orientem, id est in Orientali parte mundi, quæ utique verè realis & corporea est: ergo etiam verè realis & corporeus fuit Paradisus; atque ulterius ait: produxitque Dominus Deus (in Paradiso) de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave &c. At verò si Paradisi arbores de humo seu de terra productæ sunt, utique corporeæ erunt, & Paradisus locus corporeus.

Deinde eo modo Moysis narratio de Paradiso accipienda est, quo modo ea accipitur, dum enarrat peccatum Euxæ & Adami c. 3. at hæc narratio accipitur in sensu litterali & proprio, ut patet: ergo &c. aut certè, ut inquit S. Epiphanius in Anacorato: *Si non est paradisus sensibilis, non est fons, non ficus, non folia non comedit Eva, sed iam fabula est.* Denique Gen. 13. v. 10. comparatur in pulchritudine & amænitate, Regio circa jordanè, Paradiso domini: at inepta prorsus esset compa-

18 *De homine in statu naturæ integræ.*

ratio illius Regionis cum re Spirituali & mystica, ut rectè colligit S. Augustinus q. 27. in Gen. ergo &c. unde S. Hieronymus in 10. c. Danielis v. 4. *Conticescant ergo eorum deliramenta, qui umbras & imagines in veritate sequentes, ipsam conantur evertere veritatem, ut Paradisum & flumina & arbores putent allegoria legibus se debere subruere.*

Respondent: tamen illam Moysis narrationem plura alia complecti, quæ non nisi metaphoricè possunt accipi v. g. ambulatio Dei in Paradiso post meridiem. *Contra:* apertè constat, illam Dei deambulationem non posse litteraliter absque manifesto absurdo accipi, eò quod Deus corporis sit incapax, cujus tamen esset deambulare; nullum autem sequitur absurdum, dum litteraliter Moysis narratio intelligitur de Paradiso tanquam loco corporeo & sensibili. Atque ex hinc

Infertur quod dum Christus Luc. 23. dixit latroni: *hodie mecum eris in Paradiso*, ibi Paradisum sumi non litteraliter, sed mysticè, prout significat locum, ubi est summa quies ab omnibus laboribus & pressuris, sive deinsit in cælo, sive in terra, sive in Limbo, in quem Christus descendit; hinc est nos non negare, Moysis narrationem de Paradiso reali & visibili factam, posse in sensum mysticum exponi, ut pulcherrimè facit S. Augustinus lib. 13. de Civit. c. 21.

DICO II. *Per Paradisum, in quo Adam positus erat, non posse intelligi ipsimmet hunc totum*

orbem terrarum, quem incolimus, sed locum aliquem particularem in certa quadam huius orbis regione constitutum. Est communior contra Pinedam, Abrahamum Ortelium &c.

Prob. ex Moyſis narratione conſtat, Paradifum fuiſſe in Oriente plantatum: at totus terrarum orbis ne dum ad Orientem, ſed & ad Occidentem, Aquilonem, & Meridiem diffunditur; Deus è loco, ubi Adam formaverat, deportavit in Paradifum, & poſtea in Paradifo peccantem ejecit ex Paradifo, poſuitque Cherubinum cuſtodem, ut Adamum ejuſque poſteros arceret à Paradifo: at nullatenus eſt veriſimile, Deum formaſſe Adamum extra hunc totum terrarum orbem, & tunc eundem deportaſſe in illum, aut poſtea peccantem ejeciſſe extra hunc mundum: ergo &c.

DICO III. *Paradiſus in quo Adam poſitus erat, non fuit ſituatus in loco ita depreſſo, quod in planitie iaceret, nec ita excelſo, quod ſecundam aëris Regionem excederet.* Scotus 2. d. 18. q. 2. n. 3. Fraſſen tract. 3. d. 2 contra Magiſtrum ſentent.

Prob. Paradifus debuit fuiſſe ſituatus in loco hominum habitationi connaturaliter aptiſſimo, adeoque in quadam valde temperata regione: at locus ita depreſſus, quòd in planitie puta infra primam aëris regionem iaceret, aut ita excelſus, quòd ſecundam aëris regionem excederet, non eſſet hominum habitationi connaturaliter aptus & attemperatus; tum quia niſi paradifus altior ſtaret, quàm

20 *De homine in statu naturæ integræ*

nostra terra à nobis defacto inhabitata, non potuisset fieri, quod ex Paradiso quatuor illa ingentia flumina, quibus univèrsa terra irrigaretur, profluerent; & aliàs hæc inferior aëris regio, sub qua est nostra communis habitatio, continuis procellis, crassioribus terræ vaporibus, aliisque intemperiiis subjecta est, locus autem Paradisi debuerit esse saluberrimus, adeoque altior hæc nostrâ communi terrâ. Tum quia locus altitudine suâ excedens secundam aëris regionem, nec salubris, nec hominum habitationi connaturaliter est accommodatus; siquidem tertia aëris regio patitur nimiam siccitatem, ardorem ingentem, agitationem continuam, ex scilicet elementi ignis vicinia, Cælorum raptu, corporum ardentium multitudine, puta Cometarum, in ea regione formatorum & accensorum; nec ullus ibi spirat suavis & refrigerans ventus, nullo rore solaris æstus temperatur, nulla fluminum & fontium scaturigo, nullus herbarum viror, nullus florum nitor, nulla denique potest esse fructuum suavitas & salubritas; atque ipse aër in suprema regione, nedum valde tenuis, siccus & calidus est, subindeque hominum respirationi & cordis refrigerationi minimè conveniens, sed & insalubris, imò læthalis: ergo &c. Atque ex hinc

Infertur illam Magistri, Ruperti, Rabani opinionem, quasi Paradisus usque ad globum lunæ fuisset elevatus, planè erroneam esse; quia sic non in terra, sed in aëre aut cælo fuisset Paradisus, ac propterea valde spectabilis & omnibus notus, sic
ut

ut Sol, Luna, Stellæ, Cometæ àb omnibus spectantur. Aut certè frustra à Deo fuisset positus Cherubinus, qui custodiret Paradisum, ne ullus mortalium eò intraret, quis enim hominum ad lunæ concavum evolare? fuerit ergo Paradisus situtus in suprema hujus infimæ regionis aëris parte; eò quod in superiori excederet calor ac ficcitas, in mediâ verò frigiditas & humiditas, sicque ambæ regiones intemperatæ, vel ideo loco Paradisino improporionatæ.

DICO IV. *Paradisus, in quo Adam positus erat, fuit probabilius in confinibus Mesopotamiæ & Arabia Orientalis, non multùm à Chaldea & Syria Damascena constitus.* Communior Theologorum.

Prob. ubi vulgata habet: plantaverat autem Deus Paradisum voluptatis, Hebraica fert: plantaverat Deus Paradisum in Edem; EDEM autem in Syriæ seu Mesopotamiæ finibus erat, ut constat ex 4. Reg. 19. v. 12. Deinde ibi est Paradisus, ubi sunt Tygris & Euphrates, hi autem sunt in Armenia & Mesopotamia; & aliàs illæ regiones sunt amænissimæ & fertilissimæ; Denique Paradisus non adeò longe dissitus videtur à Judæa, uti & Mesopotamia non adeò dissita est à Judæa; nam dicunt PP. Adamum Paradiso ejectum peragratis aliquot locis venisse in Judæam, ibique mortuum ac sepultum in monte, qui à posteris, quod ibi caput primi hominis jaceret, Calvariæ mons fuerit appellatus, in quo Christus crucifi-

22 *De hominè in statu naturæ integræ &c.*

xus Adæ peccatum luit & expiavit: ergo &c.
Post hæc

*Petes: an Paradisus etiamnum existat? R. probabilius esse, & Scoto 2. d. 18. q. 2. n. 4. conformius etiamnum in suo perfecto flore existere: S. Justinus, Tertullianus, Epiphanius, Augustinus, Damascenus, S. Thomas &c. qui singulari Dei providentiâ tempore Noë à diluvio creditur fuisse intactus servatus; esto alios omnes communes montes excesserit aqua diluvii, non tamen Paradisum, aut si & hunc excessit, eum tamen non vitavit, utpote ille sit innocentiae locus, in quo etiamnum sanctissimè & quietissimè creduntur vivere Elias & Henoch. Scotus cit. loco sic docet: *aqua diluvii inundaverunt miraculosè sic ascendentes ad punitiorem peccatorum; ubi igitur non inundaverunt, non fuit factum miraculum ibi; in Paradiso autem, cum non essent ibi peccatores, non debuerunt per miraculum inundari; igitur supponit Scotus, & existere, & per diluvii inundationem manisse incontaminatum. Dixi probabilius; quia improbable non est, & fortè verius, equidem Paradisum in suo perfecto flore usque ad diluvium permansisse; siquidem Deus expulsus à Paradiso Adamo posuerit ante eum quendam Cherubinum, ad custodiendum illum usque tunc, quando aquæ diluvii per annum integrum occupaverunt totam terram tantâ vi hinc inde currentes, seu ut loquitur Moyses, euntes & redeuntes, quod omnes arbores, domos, urbes, quin & colles**

stra-

straverint, totamque ferè superficiem terræ dimoverint & immuttârint, etiam Paradisi decor & florida forma fuit subversa & deleta; ita Frassen *Tr. 3. d. 2. a. 1. q. 4.* Oleaster, Eugubinus, Pererius, Jansenius, Suarez *3. p. q. 59. a. 6. & 55. Sect. 1.* & aliàs de Henoch & Elia dici potest, hos fuisse translatos non in Paradisum Adami, sed in aliam secretam delitiis plenam terræ regionem; quia *ly Paradisus* etiam vulgò accipitur pro quovis loco delitioso seu horto fructifero arboribus confito

QUÆSITUM II.

An, & quomodo Homo pro statu Innocentiæ fuisset immortalis?

DICO I. *Homo, si in statu innocentia perseverasset (1) fuisset planè immortalis (2) non quidem ex natura sicut Angelus & anima rationalis. Tota de fide.*

Prob: 1. p. Homo debitum seu obligationem moriendi solùm incurrit per peccatum: ergo si in statu innocentia perseverasset, fuisset planè immortalis; *ant. prob. Gen. 2. v. 17. in quocunque die comederis ex eo, morte morieris; neque id de sola morte spirituali animæ intelligendum est, ut volunt Pelagiani, sed etiam corporali, propterea Deus Gen. 3. v. 19. post præcepti transgressionem dixit: in sudore vultûs tui vesceris pane, donec revertaris in terram,* atque adeo, licet illo

24 *De hominè in statu naturæ integræ*

ipso die, quo peccavit Adam, corporaliter non fuerit mortuus, statim tamen debito & obligationi moriendi fuit obnoxius, *per unum hominem peccatum introivit in mundum* (inquit Apostolus Rom. 5.) & *per peccatum mors*; imò est defacto S. fidei dogma determinatum in Conciliis Milevitano c. 1. Arausicano 2. can. 1. & 2. Trident. Ss. 5. c. 1. atque unanimis PP. consensus docentium: hominem, statu innocentia perseverante, absque mortis transitu fuisse à Deo translatum post longum annorum cursum ex hac terrestri vita ad cælestem beatitudinem: ergo &c.

Prob: etiam 2. p. S. Augustinus 7. de Gen. ad litt. c. 25. mortalis erat conditione Corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris; tum quia in illo statu tamen erant corpora humana ex quatuor Elementis & qualitatibus contrariis mixta; at hæc sunt principia corruptionis naturalis; tum quia primus homo utique fuit ejusdem naturæ & speciei, cujus sunt reliqui homines ex ipso descendentes: ergo si ex natura sua fuisset ille immortalis, etiam illius posterii post peccatum fuissent immortales, cum per peccatum naturalia non sint deperdita.

DICO II. *Homo sin statu innocentia perseverasset, fuisset immortalis intrinsecè (1) non quidem ab aliqua qualitate infusa sive anima, sive corpori, sed ab esu ligni vitæ (2) extrinsecè à speciali Dei providentia & protectione, quâ protegeretur à morte, quæ aliàs accidentaliter sive ex*

morbis, sive violenter ex aliis causis accidere sole-
ret. Scotus 2. d. 19. q. un. Rada 2. p. contr. 15.
Aretinus in Gen. c. de sentent. contra virum lata
q. 13. Pontius d. 17. q. 4. P. Vulpes Tom. 2. p. 2.
d. 43. a. 2. Mastrius d. 4. q. 1. a. 1. n. 7. Mace-
dus Tom. 2. Collat. 6. differentia 3. Sect. 4. Sua-
rez, Arriaga, Averfa, Lezana &c. esse contra S. Tho-
mam in 1. p. q. 97. a. 1. ex August. l. quæst. novi
& vet. Testamenti & in eadem quæst. a. 3. ad 1.
& a. 4. atque in 2. d. 19. q. 1. a. 2. & 4. affir-
mat Macedus cit. à Sect. 1. & Mastrius n. 6.

Prob. assertio quo ad 1. p. ideo homo pro statu
innocentiæ fuisset mediante quâdam qualitate in-
trinsecè seu ad intra immortalis, quia per eam ho-
mo redderetur incapax moriendi, ac sufficienter
defenderetur ab omni eo, quod mortem inferre
posset: at ejusmodi qualitas videtur impossibilis;
non enim video, inquit Doctor, *quod illa qualitas*
possit facere, quod tale corpus non pateretur à con-
trario, & sic tantùm potuisset pati quod mortuum
fuisset; siquidem talis qualitas sive sit spiritalis si-
ve corporalis impedire non potuisset, quo minus
homo potuisset gladio interfici aut aquis suffoca-
ri, non enim fecisset corpus hominis penetrabile,
sicut est corpus gloriosum, nec adeo leve, ut aquis
supernataret, neque tantùm resistens, ut ab igne
non posset lædi: ergo &c.

Respondent: Ejusmodi qualitatem equidem non
impedituram actionem ignis v. g. aut aliorum
agentium naturalium, impedituram tamen, ne a-

26 *De homine in statu naturæ integræ*

nima separetur à corpore. *Contra*: In tali casu esset miraculum, concedere in homine dispositiones cum vita repugnantes in summo & non induci formam ignis aut aliam, atque adhuc conservari unionem animæ cum corpore, sine dispositionibus requisitis. *Deinde* non obstante tali qualitate homo pro illo statu adhuc cibo & potu indiguisset, eique liberum fuisset ab eis abstinere, atque sic inediâ potuisset mori, etsi habens illam qualitatem; cum certè illa qualitas non foret talis, quod sine alimento habens illam homo vivere potuisset; atque adeò per talem qualitatem non sufficienter redderetur ad intra incapax mori; Vnde

Infertur immortalitatem hominis pro statu innocentiaë intrinsicè fuisse ortam ab esu ligni vitæ, virtute cuius fuisset restauratum humidum radicale, propterea ipse Deus *Gen. 3.* reddens rationem, cur post peccatum expulerit Adam de Paradiso, inquit, *ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum*; quin homo post peccatum, si de ligno vitæ comedisset, probabiliter, ad longum scilicet tempus, mortis expers fuisset, etsi nullam qualitatem ab adversarijs excogitatum retinuisset; ergo pro statu innocentiaë fuisset homo hoc remedio, scilicet ab esu ligni vitæ intrinsicè præservatus à morte.

Prob etiam 2. p. fructus ligni vitæ solùm reparare poterat & confortare hominem intrinsicè, non autem extrinsicè illum tueri ab occisione,

ne, aut alijs causis mortis extrinsecis & violentis: ergo per extrinsecam Dei manutenentiam, ac specialem providentiam seu protectionem id fieri oportuit, ut adeò sicut Deus per lignum vitæ providerat ad impediendam mortem naturalem ex paulativa defectione naturæ aliàs secuturam intrinsecè, ita provident ad impediendam mortem à causis extrinsecis quibuscunque tandem aliàs inferendam; propterea dedisset optimam corporum temperiem, ciborum qualitatem, loci salubritatem, rectissimum iudicium, quo potuisset nociva quæque evitare, & de cætero, ne ab ullis alijs agentibus quandam violentiam pateretur homo, fuisset à divina providentia singulariter circumvallatus.

Confirmatur S. Augustinus lib. I. de peccat. meritis & remiss. c. 2. hominis pro statu innocentiae incorruptibilitatem & immortalitatem comparat illi, quam habuerunt vestimenta filiorum Israël in deserto per tantum tempus conservata sine corruptione, & quâ defacto gaudent in terrestri Paradiso Enoch & Elias: at non est credibile Hebræorum vestimenta incorrupta fuisse servata per intrinsecam aliquam qualitatem, sed per solam extrinsecam Dei providentiam: ergo. &c.

DICO III. Homo, si in statu innocentiae perseverasset, ab esu ligni vitæ accepisset solam vitæ diuturnitatem, & nullam veram ac propriè dictam aternitatem. Scotus 2. d. 19. q. un. n. 4. Mastrius, Frassen, Pererius, &c. Prob.

28 *De homine in statu naturæ integræ.*

Prob. Virtus & efficacia illius ligni erat finita: ergo ad infinitum tempus se non poterat extendere. *Deinde* poterat Deus aliud lignum, illo præstantioris & majoris virtutis creare, cujus effectus longioris & diuturnioris fuisset durationis: ergo hujus efficacia in infinitum non diffundebatur; *Denique* nullâ reparatione cibi naturalis fieri potest, ut quis semper vivat, utpote quævis natura taliter reparabilis, sicut habet certum terminum magnitudinis, ita & vigoris, ad quem cum pervenit, deinceps debilitatur paulatim, semperque minus perfectè convertit cibum in substantiam aliti, etsi quotidie illum sumat, donec tandem deficiat; *quod prob.* Omne agens in agendo repatitur, quia actio est inter contraria: ergo calor naturalis agendo in alimentum aliquantulum ipsi dissimile repatitur ab illo, & consequenter debilitatur, ut adeò non possit semper eodem modo perfectè convertere alimentum in propriam substantiam aliti: ergo etiam de fructu ex ligno vitæ sumpto, cum ex eo facta fuisset nutritio eo modo, quo nunc ex alijs cibis, idem dicendum est, scilicet humidum radicale non potuisse perpetuò exinde reparari.

Confirmatur si lignum vitæ habuisset virtutem divinitus sibi inditam ad conservandam vitam hominis in veram & propriè dictam æternitatem, fuisset illa virtus planè frustranea; si quidem homo, etsi status innocentiae permansisset, tamen in hoc non fuisset vitam hic in terris in æ-
inter-

ternum acturus, sed Deus ipsi constituisset certum temporis quidem longissimi terminum, quo adveniente, eum transfulisset in ipsummet cælum ad intuitivam Dei æternam visionem; defacto autem cum status innocentia non permanerit, debet mori: ergo frustra ligno vitæ esset communicata virtus conservandi hominem in hoc mundo in perpetuum, quia talis potentia in neutro casu fuisset reducta ad actum.

Respondent: Ideo Dominum Deum eiecisse Adam de Paradiso, *ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat & vivat in æternum.* Gen. 3. v. 22.

Contra; Tum quia dici potest, ibidem fuisse Deum ironicè locutum, sicut mox antecedenter ironicè Deus locutus est dicendo: *Ecce Adam, quasi unus ex nobis factus est sciens bonum & malum*, evidens tamen est, Adamum perduellem revera divinis personis non fuisse assimilatum, nec parem cum eis habuisse scientiam boni & mali; voluit ergo Deus tali modo loquendi Adamo confusionem ingerere, exprobrando ipsi ambitionem, quâ parem Deo scientiam acquirere cupiebat, quam esu arboris vitæ diabolo decipiente & promittente se consecuturum sperabat, at consecutus non est; tum quia esto ibidem Deus non ironicè sed seriò locutus dicatur, aptè tamen dici potest, *ly in æternum sumi pro diuturno tempore, modo S. Scripturæ satis usitato v. g. Gen. 17. dabo tibi & semini tuo omnem terram*

30 *De homine in statu naturæ integræ.*

Chanaan in possessionem æternam, & ita exponit S. Bonaventura 2. d. 19. a. 2. q. 2. ad 1. tum quia etsi ly *in æternum* sumatur propriè pro tempore simpliciter perpetuò, adhuc rectum sensum posse esse, quod quicumque lignum vitæ comidisset, immortalitatem fuisset consecutus, quatenus scilicet mortem incurrisset nunquam, sed post longum tempus completis meritis in cælum fuisset translatus, atque sic mortuus nunquam fuisset; ita sensit Scotus cit. loc. Atque ex hinc

Infertur I. Nostram assertionem procedere ex suppositione, infuisse ligno vitæ virtutem conservandi tantam vitæ diurnitatem *ex natura rei & physicè*, ac propterea nos cum Scoto arbitrari impossibile esse naturaliter, quod aliquis cibus, quantumvis virtuosus & efficax ad salutem, posset ex propria & naturali virtute humanam vitam protrahere ad æternitatem, maximè si nutritio ex eo fieret tali modo, quo nunc fit ex alijs cibus, puta per conversionem ejus in substantiam aliti; ex suppositione verò ejusmodi virtutem simpliciter infuisse ligno vitæ & *supernaturaliter*, probabilissimum est, potuisse vitam usque in æternum conservare; & hæc est communior PP. & Theologorum opinio, quam tamen nimis præproperè Arriaga quasi de fide enuntiat.

Infertur II. Rem ergo Scoti esse hanc ex cit. loc, n. 5. *Stante innocentia non accidisset mors; cujus causam assigno talem, quia quilibet fuisset translatus in Paradisum antequam fuisset alteratus*

ratns, alteratione improporcionatâ anime, five forme; & hæc translatio non fuisset miraculosa, sed iusta & regularis, quod quilibet in statu suo transformaretur; atque removendo omnes causas mortis five ab extrinseco five ab intrinseco n. 7. ait: quod solum habuit posse non mori: per illatum à causis extrinsecis; & pergendo ad intrinsecas non fuisset, inquit corruptus, quia fuisset translatus ante mortem; alij autem dicebant, quod fiebat restauratio per esum ligni vitæ. Fuit ergo effectus ligni vitæ, quod ex ea comedens duxisset vitam diutissimam, à morbis & senio immunem, sanam, quietam & jucundam. Post hæc

Petes: quousque ergo esus ligni vitæ produxisset hominis innocentis vitam?

Resp. Ad aliquot annorum millia; si enim cibus ordinarijs contenti tot sæculis homines vixerunt post lapsum, ut habetur *Gen. 11.* cur non beneficio fructuûm de ligno vitæ in Paradiso aliquot annorum millibus potuissent vivere?

QUÆSITUM III.

An, & quomodo Genus humanum pro statu innocentia fuisset propagatum?

Dico I. Pro statu innocentia fuisset genus humanum per veram sexûs commixtionem propagatum. Communissima Scholasticorum apud Suarez, lib. 5. n. 6.

Prob.

32 De homine in statu naturæ integræ

Prob. Gen. 1. v. 27. Masculum & feminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait crescite & multiplicamini, quæ verba utique in eodem sensu sunt intelligenda pro statu innocentia, in quo postea intellexit eadem Noë hujusque filij Gen. 9. at hi intellexerunt hæc verba: Crescite & multiplicamini secundum ordinariam generationis viam verâ sexûs commixtione peragenda; in hunc enim finem (ut pulchrè discurret S. Bonaventura 2. d. 20. a 1. q. 1.) corporum seu sexuûm differentiam Deus ab initio instituit, ac propterea mulierem Adamo in adjutorium dedit: ergo &c. Deinde, virtus generativa est specialis perfectio naturæ, non frustra, sed propter specificam naturæ propagationem, & supernæ civitatis Jerusalem impletionem concessa; nec carnalis illa sexûs commixtio, utpote nullâ libidinis deordinatione pro tunc vitiata, prout modo ob partis sensitivæ rebellionem, quæ ibi perfecto voluntatis dominio subfuisset, haud secus ac defacto motus manuûm, pedum, oris &c. nullam haberet indecentiam, esto cum quadam moderata delectatione fuisset connexa, quam tamen, uti & ipsammet commixtionem homo non appetiisset vel admisisset nisi sancto fine: ergo &c.

Confirmatur S. Augustinus lib. 2. de peccato originali c. 35. & 36. Essent autem proculdubio nuptiæ, etiam non precedente peccato, quia neque ob aliam causam viro ad utorium non alius vir, sed femina facta est; & illa Dei verba:

CRESCE ET MULTIPLICAMINI, non est damnandorum perditio peccatorum, sed fecundarum benedictio nuptiarum; Si autem peccato non fuisset de honestata natura, absit, ut opinemur, tales futuras fuisse nuptias in Paradiso, ut in eis ad prolem seminandam non naturâ voluntatis, sicut pes ad ambulandum, manus ad operandum, lingua ad loquendum, sed æstu libidinis membra genitalia moverentur; nec sicut nunc fit, virginittatis integritas ad concipiendos fetus vi turbidi vitaretur ardoris, sed obsequeretur imperio tranquillissima charitatis; & eo modo non esset dolor & cruor virginis concumbentis, quomodo non esset etiam Matris gemitus parientis. id ipsum docet lib. 4. contra Julianum c. 4. item 12. de civit. c. 23. lib. 9. de Gen. ad litt. c. 3. Unde S. Augustinus aliquando alterius opinionis existens se ipsum lib. 1. retract. c. 10. emendat in hoc, quod lib. 1. de Gen. contra Manichæum dixerat; similiter facit c. 13. ubi corrigit, quod asseruerat lib. de vera Religione c. 46. ergo &c.

Infertur I. Fuisse per actum generationis pro statu innocentie virginittatem corporis revera amissam; Si enim, inquit, S. Bonaventura cit. q. 4. vir cognovisset uxorem in tempore nature instituta, fuisset ibi claustrorum apertio non tamen fuisset ibi panalis passio, nec fada delectatio; quia vis generativa non est corrupta, nec esset infecta, imò obedirent rationi illa membra, sicut dicit Augustinus, prout obediunt os, manus

34. *De homine in statu naturæ integræ.*

& lingua; unde sicut manus aperitur & clauditur, nec ibi est passio vel pena, nec delectatio fæda, si fuisset in natura instituta; nec turpius fuisset tunc loqui de istis membris quam sit loqui de aliis; nunc enim turpe est loqui propter hoc, quod natura erubescat actum illum ratione feditatis, & ratione annexæ intemperantis & inordinata delectationis. Cæterùm pro statu illo Deus præcavisset omnem dolorosam alterationem, aliàs ex maternorum viscerum apertione consequendam, imò partes fæminei corporis per convenientes qualitates fors ita suaviter disposuisset, ut facillimè citra ullum doloris sensum relaxarentur, idque naturaliter & veluti ex debito congruo tam fælici statui, cui plura alia singularissima privilegia fuissent competitura.

Infertur II. Fuisse per actum generationis pro statu innocentia etiam virginitatem mentis revera amissam, scilicet per voluntariam copulam carnalem, quæ perfectæ virginitati mentis repugnat, quantumvis sanctissimo fine admittenda; *Deinde* juxta pleròsque DD, probabilius esse, conjugium pro tunc fuisse virtuosius virginali continentia; sive quia fors illud ex divino præcepto (in hoc significato: *crescite & multiplicamini*) debebat iniri, sive quia ab illo omnis molestia & libidinis inordinatio abfuisset, ècontra adfuisset castissimus conjugum amor & fides intemerata, perpetuùmque fæcunditatis bonum, & inde consequens prolium innocen-

tium

tium generatio, & Filiorum Dei jucundissima educatio, quibus omnibus caruisset virginalis continentia absque æqualium bonorum compensatione. Licet cæteroquin virtuosius esset abstinere à re valde delectabili carni, quam illam quærere, quia tamen in illo conjugio nec fuisset quæsita delectatio, sed solum admissa, idque tunc solummodo, dum foret generanda proles, nec apparet, quod virtuosius tunc fuisset abstinere ab illa, ac admittere, ut docet S. Bonaventura sæpius citatus.

Inferitur III. Ex quâvis commixtione sexûs tunc fuisse secuturam prolem, idque ex ratione sufficientiæ & perfectionis tum in virtute generante, (quæ juxta regulatam rationem nunquam exiisset in actum, nisi quando generanda esset proles) tum in virtute concipiente; imò pro libitu tunc potuissent generare prolem masculam vel fæmellam, eò quod perfectè novissent causas ejusmodi differentiæ sexuûm, adeoque eas potuissent debito modo applicare, ut pro illorum nutu sexus in illa differentia oriretur. Probabilius tamen videtur, & nobis cum S. Bonaventura 2. d. 20. a. 1. q. 6. quod masculi & fæmellæ in æquali numero pro illo statu generarentur; neque in illo statu ulla fuisset bigamia aut polygamia, cum defacto pro statu naturæ lapsæ non nisi ex mera indulgentia tollerentur, & Scotus 2. d. 20. q. 2. n. 4. ipsas secundas nuptias hic & nunc saltem non multum laudabiles dicat.

36 *De homine in statu naturæ integræ.*

Dico II. pro statu innocentie propagatio humani generis de cætero fuisset proportionata illi, que fit de factò, quatenus tunc nati crevissent (1.) & corpore (2.) & scientiâ. Scotus 2. d. 20. q. 3. & communior.

Prob. Tum quia illâ propagatione nati proportionatè ad eos, qui defacto nascuntur, fuissent procreati corpore in statura parvo, utpote omnibus cæteris creaturis ex propagatione generandis connaturali, ut patet ex exemplo plantarum & aliorum animantium, nec de homine ex ulla authoritate constat ulla exemptio; tum quia connaturalis angustia uteri materni parvitatem corporis exigebat. *Deinde* non est etiam ulla ratio vel authoritas, unde constaret, tunc sic natis rerum omnium species seu scientias infundi, sicut dicuntur infusæ Angelis & Adamo, sed paucissimæ res pro statu pueritiæ ipsis proponi poterant: ergo naturaliter pauca poterant scire: ergo &c. *Neque* fuisset ipsis difficile naturalium rerum scientiam acquirere, utpote perfectissimo ingenio pollentes, & sapientissimo Magistorum adminiculo provisi, idque sine ullo erroris periculo ratione protectionis divinæ; nec propterea fuisset in illis, ob successivam scientiæ acquisitionem, ignorantia, sed puranescientia. Post hæc

Petes: An parvuli recens nati pro tunc iam habuissent usum rationis?

Resp. Satis probabiliter affirmativè; Herinx
d. 6.

d. 6. q. 11. n. 88. tum quia perfectior illis parvulis complexio quo ad hoc, uti & quo ad usum cæterorum membrorum fuisset tributa, adeoque etiam proportionatus usus rationis datus, paulatim perficiendus, statim ab initio nativitatis, imò fortassis etiam in utero materno; tum quia pro tunc probabile est, intellectum fuisse à phantasmate independentem, (quod Poncio d. 17. n. 2. uti & Herinx cit. videtur incertum, Scotus verò in 1. d. 3. q. 3. n. 24. §. Si queratur planè problematicus est) si ita, planè certum esset, quod pro illo statu mox ab instanti conceptionis habuisset perfectum usum rationis; Siquidem positâ intellectus independentiâ à phantasmatibus, tum cerebri infantilis fluida, aliâve corporalis complexio, minimè usum rationis impedire potuisset.

QUÆSITUM IV.

*An pro statu innocentia omnes,
& soli prædestinati futuri
fuissent?*

DICO I. Pro statu innocentia posteri Adæ (1.) fuissent nati in gratia seu iustitia originali (2.) non tamen ex vi translationis aut transfusionis ab Adamo seu Patre (3.) fuissentque in gratia confirmati (4.) non quidem absolute, ut beati solent (5.) sed respectivè, si scilicet primam

38 De homine in statu naturæ integræ.

primam tentationem vicissent. Scotus 2. d. 20. q. 1. à n. 2. Macedo tom. 2. collat. 6. differentiâ 4. sect. 1. & 2.

Prob. tota assertio simul: Doctor Subtilis cit. loc. n. 2. distinguit duos modos confirmandi in gratia, unum beatorum, quem negat fore pro statu innocentia, alterum viatorum, qualis fuit Joannis Baptistæ & Apostolorum, quem affirmat donatum iri posteris Adæ, si primam tentationem vicissent; audiamus textum: Dico quod aliquis possit dici confirmatus in justitia, vel quia non potest peccare, eo modo, quo non posse peccare potest creatura cõpetere; alio modo potest dici confirmatus, quod non peccat, vel non peccabit, sicut de multis viatoribus sanctificatis in utero. En! perspicuam modi confirmandi in gratia distinctionem! & subdit: non posse peccare primo modo, non potest competere viatori; imò distinguuntur, sicut viator & comprehensor distinguuntur, sicut esse citra terminum & esse in termino; de solâ autem confirmatione secundi modi & propria viæ Doctor Subtilis & nos cum illo, qui scilicet stat cum potestate peccandi, in præsentiarum loquimur, propterea n. 3. dico quod mære viator posset esse confirmatus, & fuissent filii in statu innocentia - - & parum infra, nec etiã illi iustitia necessitabat eos ad benè agendũ; ac n. 4. omnes nati servassent justitiam, non quia servare non potuissent; ergo pro statu innocentia omnes fuissent nati in gratia seu justitia originali, in eaque confirmati sed confirmatione non excludente potestatem peccandi. Prob.

Prob. in specie 2. 3. 4. & 5. p. Scotus sub n. 3. quærit: *sed transtulissetne Adam istam justitiam? Dico, quod non, cum sit donum supernaturalis; sed ex mera liberalitate divina esset datum proli, sicut fuit datum parenti.* S. verò Thomas (ut clarè probat cit. P. Macedo à sect. 1. 2. & 3.) arbitratur, hanc justitiam fore hæreditariam & naturalem, propterea transfundendam, Scotus è contra fore meram gratiam ex liberalitate Dei; nam sicut ipsimet Adamo donum justitiæ originalis fuit collatum gratis, & liberaliter à Deo, ita & posteris futurum foret, ut adeò omnis ratio debiti sive naturalis connexionis auferretur: ergo &c.

Respondent tamen defacto peccatum originale fuit transfusum: ergo & pro tunc justitia originalis fuisset transfusa. *Contra* Peccatum fuit ipsi Adamo patri aliquid proprium, seu propriâ voluntate commissum, propterea transit ad posteros, cum ipsa natura per illud fuerit vitiata; at verò justitia originalis cum fuisset aliunde scilicet à Deo liberè donata & ab Adamo liberaliter accepta, non erat lege aut viâ naturali transfundenda, utpote pura gratia, non natura. Non quidem negat Scotus fore pro tunc originalem justitiam communicandam, sed solùm negat, fore transfundendam; omnes quidem habuissent eam, sed ex Dei constitutione ac decreto ita volentis ac statuentis, non ex connexionem, naturalem propagationem consequente. Pergit Scotus

40 *De homine in statu Naturæ integræ.*

tus quærendo. *Sed habuissetne filius illam per patrem vel per merita patris vel parentum? Dico quod non;* ubi Doctor distinguit duplicem gratiam, unam in qua pro tunc omnes nascerentur non confirmati, alteram quâ omnes confirmarentur nati; & utramque negat acceptam ab Adamo; tum primam quâ initiarentur, tum secundam, quâ confirmarentur; ad primam nullum esset meritum, nec alienum Adæ, nec proprium, erat quippe gratia data nativitati ante ullam actionem nascentis; ad secundam verò esset meritum proprium; non enim conferretur nisi postquam homo ille resisteret primæ tentationi, ut ait Scotus sub. *num.* 3. atque adeò daretur tunc illa confirmatio in justitia per proprium meritum hominum singularium ex gratia data initio merentium ex condigno, non autem daretur per meritum Adami, ut Scotus probat hæc ratione: Meritum Adæ non foret tantum, quantum fuit meritum Christi: at per meritum Christi in Baptismo applicatum baptizatis non confirmantur in gratia baptizati: ergo nec per meritum Adæ confirmarentur posterii.

DICO II, *Pro statu innocentie Reproborum nullus, sed soli predestinati fuissent nascituri.* Ita Scotus 2. d. 20. q. 2. n. 2. Macedo collat. 6. different. 4. sect. 4. Tataretus, Lychetus, Rubion, Bassolius, Vorillon, Poncius, Mastrius, P. Vulpes.

Prob.

Prob. S. Gregorius 4. Moralium in fin. c. 36. Si parentem primum nulla peccati rubigo corripisset, nequaquam ex se filios gehennæ generaret, sed illi qui nunc per redemptionem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur; Deinde ideò pro statu innocentia non soli prædestinati fuissent nascituri, ut gratia Dei, hujusque liberalis donatio in hominibus magis manifestetur, ut vel sic magis ostendatur humani arbitrij libertas, ac ab auxilijs gratia dependentia, ut insuper non solum gratia sed & justitia Dei distributiva & vindicativa declaretur, ita volunt Suarez & Arriaga cit. at propterea pro statu innocentia reproborum nullus fuisset nasciturus; tum quia hoc ipso gratia Dei, hujusque liberalis donatio magis elucesceret in eo statu, si prorsus omnes nascerentur electi & prædestinati, ac reproborum omninò nullus, cum eò sit donatio liberalior, quo ad plures se extendit; tum quia etsi pro illo statu nullus prædestinatus post specialem Dei manutenentiam mortaliter peccaret, adhuc tamen peccare posset; si quidem status innocentia proximam peccandi potentiam non tollat, sicut status beatitudinis; tum quia satis justitia Dei indicaretur in hoc, quod Deus suum præceptum prævaricantibus minaretur mortem & corporis & animæ, sicut fecit Adam peccanti: ergo. Atque ex hinc

Infertur I. statum innocentia non fore componendum ex innocentibus & Pœnitentibus, adeoque nullus pro tunc peccasset mortaliter,

sed omnes fuissent à tali lapsu præservati, sicque tunc nulli fuissent pœnitentes, quasi vero quidam peccassent mortaliter, tunc pœnitentes salvarentur, v. g. per contritionem, ut immeritò Mastrius & Poncius hic certè contra Scoti mentem sibi imaginati sunt; tum quia status ille fuisset status integritatis similis virginitati, quapropter aut maneret integer, aut periret corruptus, non enim datur medium; tum quia si pro illo statu fuissent peccata mortalia privatorum, fuisset Mediator & Redemptor necessarius, uti & Sacramenta ad expianda peccata, sicque à statu naturæ lapsæ non differret; tum quia Scotus *cit. 2. d. 20. q. 1. sub. n. 3. §.* sed fuissetne, dum dicit: *Pater eam* (puta justitiam originalem) *potuit perdere & perdidit: ergo & filius*, solum vult adducere meritum cum libertate, & excludere transfusionem talis confirmationis in gratia, quæ non posset consistere cum peccato, qualem habuisset Adam, si restitisset primæ tentationi; arguebat nempe Scotus contra tale genus confirmationis in gratia, quæ perfectè extingueret & impossibile redderet peccatum, ut contingit circa confirmationem in gratia respectu beatorum; unde sub n. 1. propriam Viatorum statuit confirmationem, qualem habuerunt illi, qui fuerunt in utero confirmati, qui etsi potuerint peccare, non tamen peccarunt mortaliter; admissâ igitur eâ confirmatione, quæ stat cum posse peccare, etsi potentia vi illius confirmationis infallibiliter nunquam sit exitura in actum, attamen

do-

docet Scotus, quod homines pro statu innocentiae ejusmodi confirmationem citra proprium meritum non obtinerent mox in nativitate quasi ab Adamo transfusam, sed per proprium meritum, postquam scilicet primae tentationi restitissent; Atque ex hinc

Inferitur ulterius II. Scotum non docere cit. loc. quosdam pro tunc in prima tentatione fore casuros, sed solum fore tentandos, & per meritum resistentiae, cum possent cadere non cadendo consecuturos fore illam in gratia confirmationem ne cadant unquam in posterum; unde Scotus primae requirit tentationis victoriam, ut adstruat meritum, non ut supponat peccatum, cui aliqui essent non restituri, sed casuri; textus Scoti sub n. 3. sic se habet: *dico, sic merè viator posset esse confirmatus. Et fuissent filii in statu innocentiae in justitia sic confirmati, scilicet postquam primam tentationem vicissent, sicut Pater primus fuisset confirmatus, si prima tentationi restitisset, in quo textu non applicatur conditio, si filiis, sicut applicatur Adamo, qui cecidit, imò supponitur, filios non fuisse casuros, cum Scotus dicat: fuissent confirmati NB. postquam primam tentationem vicissent: atque adeo supponit fuisse victuros tentationem, propterea non dixit de filiis, si vicissent, sed postquam vicissent, removendo suspicionem lapsus, asserendo victoriam, id est, affirmando meritum, non significando casum, qui modus loquendi planè indicat, omnes fore restituros, quod ipsum in eodem num. 3.*

44 *De homine in statu naturæ integræ*

alia sequentia verba confirmant: *sed, fuissetne confirmatus in illa natus? dico quod non; quia filius non recepisset perfectiorem justitiam, quam pater, quod refertur ad meritum, ne quis putaret, eam cum natura accepisse.*

Infertur denique III. Dum Scotus eodem n. 3. dixit: pater potuit eam perdere, & perdidit; ergo & filius, ly ergo & filius esse intelligendum in sensu diviso quoad partem potentiæ peccandi, ut sensus sit, ita & filius potuit perdere, non autem copulativè, ut sensus sit, ita & filius potuit & perdidit, sicut Adamus qui utrumque habuit, posse peccare, & ipsumet actu peccare, atque id sufficit ad sensum textûs, præsertim quia subditur: nec enim illa justitia necessitabat eos ad bene agendum; mens namque Scoti solum erat adstruere libertatem ad meritum, & excludere transfusionem confirmationis in gratia, ad quæ satis est potentia peccandi; hinc num. 4. ait: concedo quod reprobi non fuissent nati quia omnes nati servâssent justitiam, non quia servare non potuissent; nempe potuissent non resistere tentationi, non servare innocentiam & gratiam, in qua fuissent nati, eam tamen liberè conservâssent & cum merito restitissent.

DICO III. Pro statu innocentie omninò iidem numero, qui defacto sunt prædestinati, nec plures nec pauciores futuri fuissent prædestinati. Scotus 2. d. 20. q. 2. Macedo cit. Sect. 5. Mastrius cit. n. 48. contra S. Thomam allegatum apud citatos.

Prob:

Prob. S. Gregorius cit. expressè dicit, quod pro statu innocentiaæ soli illi, qui defacto per redemptionem salvandi sunt, nascerentur electi: ergo pro tunc nulli fuissent nati ex his, qui defacto damnantur; siquidem eo casu nulli fuissent reprobis aut peccatores, neque ulli ex defacto reprobis tunc fuissent prædestinati. *Deinde* assertionem Scotus ipse probat hac ratione: Omnis ordinatè volens prius vult finem, quàm media, & inter ordinata ad finem prius vult, quod immediatius est fine, uti fusius in *1. sent. de prædest.* de hoc agitur: ergo Deus quia ordinatissimè volens prius voluerit electis gloriam & gratiam atque merita, quàm hunc hominem electum nasci ab hoc vel illo parente; quia hæc numero nativitas est valde remota & ferè per accidens tantùm ad gloriam ordinata: ergo electi etsi ex reprobis pro tunc nati non fuissent, adhuc fuissent nati ab innocentibus, quia priorum decretorum ordo non variatur per posteriorem.

Infertur eo ipso quod identitas numerica causæ efficientis nihil faciat ad identitatem individui, poterit idem numero ignis v. g. productus ab A etiam produci ab igne B. si applicaretur, atque sic pariter, quidam prædestinatus de facto natus ex Patre Reprobo v. g. S. Barbara ex impio Dioscuro, potuisset in individuo pro statu innocentiaæ nasci ex alio Patre v. g. ex Jacob; esto defacto inter prædestinatos unus sexus excedat alium, & pro tunc probabiliter fuisset uterque sexus æqualis;

46 *De homine in statu naturæ integræ &c.*
attamen illi homines, qui modo sunt fæminæ, pro
tunc potuissent esse viri & è contra; neque hoc
expertis mirum videtur; siquidem differentia se-
xuùm utique subsequatur electionem ad gloriã,
sitque omninò accidentalis tantùm, & propterea
jam sæpius naturaliter in eãdem personã fuerit
mutatus sexus, ut constat ex Plinio *l. 7. c. 4.* Aulo
Gellio, Alberto Magno, S. Augustino, Volaterano
apud Cavellum in Schol. *2. d. 20. q. 2. ante n. 4.*
Broudinus, Herinx &c.

QUÆSITUM V.

*An homo pro statu inñocentiæ pec-
cavisset, aut saltem potuisset prius peccare
venialiter quàm mortaliter?*

Dico I. Homo pro statu innocentie potuit re-
vera peccare prius venialiter, quàm morta-
liter, intellige veniale aut objective, & ex genere
suo, aut ex levitate seu parvitate materie, aut ex
imperfecta deliberatione. Ita Scotus *2. d. 21. q. 1.*
Macedo *Collat. 7. diff. 1. Sect. 3.* Maironius, Ta-
taretus, Bassolius, Rubion, Vòrillon, Pitigianis,
Rhada, Mastrius *d. 4. de Hominibus q. 3. a. 1.*
Poncius, P. Vulpus *de peccatis d. 140. a. 3.* Con-
tra Thomistas & RR. passim apud cit Macedo &c.

Prob. Scotus cit. *n. 1.* sic docet: *Rectitudo in-
nocentie magis repugnat peccato mortali, quàm*

veniali: sed si non obstante hâc rectitudine potuit peccare mortaliter: igitur multo magis potuit peccare venialiter etiam ipso remanente in statu innocentia; aliter non videretur minus repugnare rectitudini innocentia peccatum veniale, quàm mortale, si utrumque totaliter corrumperes. Deinde ab extremo ad extremum non fit transitus, nisi per medium: peccatum veniale medium est inter justitiam & peccatum mortale: ergo &c. Denique sub n. 2. illud donum (puta originalis justitiæ) non conjungebat perfectius ultimo fini, quàm quacunque gratia gratum faciens conjungit nunc viatorem: sed cum gratia quacunque nunc potest stare veniale etiam in perfectissimis; unde Joannes in Canon. sua. si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus &c. igitur & Adam peccare potuit venialiter.

Probat^{ur} secundo Ex ratione sic cum P. Macedo: ubicunque datur integra & justa libertas cum indifferentia ad utramque partem, datur etiam potestas ad bene vel malè agendum, adeoque ad qualemcunque actum virtutis & vitii: at pro statu innocentia dabatur in homine integra & justa libertas cum illa indifferentia: ergo etiam dabatur potestas ad bene vel malè agendum respectu cujusvis actus virtutis & vitii, sive gravis, sive levis; secus, si non daretur pro tunc talis in homine potestas, non esset meritum in vitando peccato veniali, sed solum in vitando mortali; quod planè videtur absurdum. Deinde defacto

48 *De homine in statu naturæ integræ*

in gratia confirmati v. g. Joānes Baptista, & Apostoli post acceptum Spiritum S. potuerunt, & re ipsā peccarunt venialiter: cur non & tunc? & aliās status, innocentiaē se habuisset uti status virginitatis, hic autem potest stare cum levibus tentatiunculis & venialibus peccatis, contra virginitatem, quin ea amittatur; quis enim negat, sapius virgines visu, auditu imò & levi tactu citra mortale tamen delectari, sicque venialiter peccare, citra tamen virginitatis amissionem; cur igitur leve peccatum totum innocentiaē statum labefactaret?

Respondent Statum innocentiaē futurum fuisse incompossibilem cum omni peccato veniali ex extrinseca & speciali Dei Providentia. *Contra* integritas innocentiaē ac summa ejus rectitudo consistit præcisè in ordine ad ultimum finem, & media ad illum consequendum necessaria, ut docet Scotus cit. obliquitas verò & inordinatio venialis, nec est ab ultimo fine, nec à mediis ad ejus consecutionem necessariis, sed solum à regulis quarundam virtutum utilium duntaxat ad illum, non autem necessariarum, ac proinde sub solo consilio cadentium, non sub præcepto; unde quia status innocentiaē regulariter non exigebat per divinam providentiam protegi à peccato mortali, quo prorsus tollitur, minus à veniali, quo solum accidentaliter parùm violaretur.

DICO II. *Homo pro statu innocentiaē probabiliter defacto prius peccavit venialiter, quam mortaliter. Macedo cit. loc. Sect. 4. Herrera 2. d. 22.*

9. 1. Broudinus hic *Sect.* 3. etiam inclinat Ma-
 strius cit. sub n. 52. Arriaga hic *d.* 44. n. 27.
 apud Herinx *folio* 334.

Prob: pro statu innocentia videtur Eva pec-
 casset deserendo maritum & vagando per paradi-
 sum, loquendo cum serpente, sicque se exponen-
 do periculo deceptionis & gravioris lapsus, quod
 utique peccatum aliquod fuit: at non mortale:
 ergo veniale; tenebatur enim statim vitare collo-
 quium cum serpente, aut consulere Adamum, ut
 ipse disputaret, aut alio modo eam à periculo cu-
 stodiret; peccavit etiam Eva dicendo: *præcepit no-*
bis Deus ne tangeremus quidem lignum scientia
 boni & mali, in quo Eva leviter mentita fuit; non
 enim constat tale præceptum Dei, ut ne quidem
 tangerent illud lignum; non minus peccavit di-
 cendo: *ne fortè moriamur*, revocando in dubium,
 quod assertivè Deus dixerat; peccavit etiam pro-
 babiliter non nihil vanè sibi complacendo in suis
 naturalibus qualitatibus &c. *Deinde* videtur
 peccasse Adam ante comestionem cibi vetiti non
 reprehendendo Evam, vel nimium amando illam;
 & ambo peccarunt venialiter curiosè aspiciendo
 fructum vetitum, v. g. odorando, decerpando, atre-
 ctando, quæ sunt actiones valde disponentes ad ipsa
 præcepti transgressionem & pomi comestionem,
 adeoque ad ipsum peccatum mortale. Hinc S.
 Augustinus 14. *de Civit. c.* 11. affirmat: Adamum
 existimasse veniale futurum fuisse peccatum, si ad
 connivendum uxori de cibo vetito comederet;
 D ergo


50 *De homine in statu naturæ integræ.*

ergo credidit se posse peccare venialiter & non tantum mortaliter; & expressius *lib. II. de Gen. ad litt. c. 5.* docet: quædam prava desideria præcessisse hominis dejectionem: ergo &c. Atque ex hinc

Inferitur: quod quando SS. PP. cum Augustino 14. *de civit. c. 13.* dicunt, initium omnis peccati in primis hominibus fuisse superbiam, quam constat fuisse peccatum mortale, utpote quæ fuit in materia gravi & plenè deliberata, sensum non esse, ac si vellent, quod primum hominis peccatum fuerit mortale, sed quod primum ejus peccatum mortale fuerit superbia, quod planè fuit initium cæterorum; atque in hoc sensu loquuntur alii Theologi dicentes: primum hominis peccatum fuisse superbiam, loquuntur scilicet de primo peccato inter mortalia, non autem de primo prorsus peccato absolute loquendo, sive mortale fuerit, sive veniale. Post hæc

Petes: an homo etiam pro statu naturæ puræ, aut pro statu naturæ lapsæ, aut etiam in ipso statu gratiæ existens si peccet, tum prius peccet venialiter quàm mortaliter? R. Cui Scoto & Scotistis, ac multis RR. apud Mastrium *hic d. 4. q. 4.* contra Thomistas affirmativè, puta quasi ordinariè & frequenter, nam gratis videtur poni præceptum se convertendi ad Deum, mox ac homo ad usum rationis pervenit, quale præceptum volunt esse statutum Thomistæ communiter, quasi homo in primo instanti actualis usus rationis teneretur se

convertere ad Deum ceu ultimum finem; tum quia difficillimum esset parvulis observare illud præceptum, utpote modicam cognitionem habentibus; tum quia severa nimis fuisset divina providentia volens hominem obligare in prima vigilia rationis ad præceptum tam arduum; tum quia de tali præcepto nihil constat ex S. Scriptura, neque ex natura rei probari potest.



HOMO

In statu naturæ lapsæ Consideratus.

Meritò quivis nunc gemebundâ exclamet voce cum S. Bernardo c. 2. Medit. *secundum* *exteriorem* *hominem* *de* *Parentibus* *illis* *venio*, *qui* *me* *ante* *fecerunt* *damnatum*, *quam* *natum*; *peccatores* *peccatorem* *in* *peccato* *suo* *generunt*, *&* *de* *peccato* *nutraverunt*; *miseri* *miserum*, *in* *hanc* *lucis* *miseriam* *induxerunt*; funestus ille Protoparentum lapsus omnium miseriarum & malorum lernam aperuit, quibus jam inde ab illo tempore omne hominum genus miserè afficitur & afflicatur; recte proin Job patientissimus Virorum, *militiam esse vitam hominis super terram* enuntiavit; vix nostri Protoparentes salutaverant diem, & jam diabolus eorundem felicitati & innocentiae insidiatus læthale illis bellum indixit;

52 De homine in statu naturæ lapsæ.

videns ille, inquit Magister sententiarum d. 21. hominem per obedientia humilitatē posse ascendere, unde ipse per superbiam corruerat, invidit ei; & qui prius per superbiam diabolus fuerat id est deorsum lapsus, secundo invidia factus est satan, id est adversarius; unde & mul. erem tentavit, in qua minus, quam in viro rationem vigere novit; ejus enim malitia ad tentandam virtutem timida, humanam naturam, in ea parte, ubi debilior videbatur, aggressa est, ut si fortè illic aliquatenus prevaleret, postmodum fiducialius ad alteram, que robustior fuit, pulsandam vel potius subvertendam ascenderet; luctuosum igitur Protoparentum cum dæmone conflictum, hujus teatationes, insidias seu instrumenta adhibita, tandem nunquam satis deplorandum ipsorum lapsum, in omnes dein posteros ex vitiata propagine derivatum penitius in præsentiarum considerabimus.

QUÆSITUM I.

Quonam instrumento, motivo, & Ordine fuerit Diabolus usus in tentando Protoparentes?

DICO I. Serpens (1.) quo ceu instrumento in tentando Protoparentes ex divina permissione congruè utebatur Diabolus, (2.) fuit verus & realis serpens, cujus corpori intimè insusus diabolus (3.) per os & linguam serpentis velut per organum verè humanas & articulatas edebat vo-

res. Communissima SS. PP. apud Suarez hic
l. 4. c. 1. Frassen Tr. 3. a. 1. q. 1.

Prob. 1. p. Diabolus non omninò liberè, sed ex speciali Dei permissione, & quidem congruè pro instrumento tentandi primum hominem, assumpsit serpentem & non aliud animal; *tum ratione ipsiusmet operis*, ut loquitur Doctor Seraphicus 2. d. 20. a. 1. q. 2. cùm enim tentatio fieret, & suggestionis ingressus, qui intrat ad cor ad modum serpentis, ibique virus peccati diffundit, ex quo homo habet spiritualiter mori, ideo ut exterior effigies operi responderet interiori, congruum fuit, hominem à Diabolo tentari in effigie serpentis, cujus est serpere & venenum diffundere, & diffundendo hominem interimere; *tum ratione finis*, cùm enim intenderet diabolus faciem hominis & caput, & superiorem mentem convertere deorsum & totum prosternere, & sic prosternendo ad malum finem deducere, proponendo sibi præmium aliquod delectabile; ideo permissus est tentare in serpente, qui secundum totum corpus suum habet terræ in suo incessu adhærere; *tum ratione divini iudicii*, cùm enim ex illa tentatione divino iudicio inter tentatum & tentantem deberet inimicitia oriri, ideo tentatio hominis in serpente debuit fieri, quem post lapsum maximè exhorret, & quàm maximè suâ calliditate insidiatur, ut hominem lædat; ita S. Bonaventura: ergo &c. Sic etiam S. Augustinus lib. 11. in Gen ad litt. c. 3. *non debemus opinari, quod serpentem sibi, per*

54 De homine in statu naturæ lapsæ.

quem tentaret Diabolus elegerit, sed cum esset in eo decipiendi cupiditas, non nisi per illud animal potuit, per quod posse permissus est.

Infertur: providissimè Dominum Deum non permisisse hominem à diabolo tentari in specie gratiosa & nobili, quomodo potuisset facilius decipi, sed potius in specie horribili, ex qua citius diaboli fallacia deprehenderetur, velut loquitur Moyſes Bar-cepha *lib. de Paradiso c. 27.* non alio permissus est diabolus ad fallendam mulierem abuti animali, tum ut sic appareret vilitas & abjectio diaboli, tum ut tortuosi & maligni animalis aspectu facilius Eva fraudem deprehenderet, sicque tentatio minus esset violenta, minusque de lapsu Eva excusabilis.

Prob: 2. p. S. Scriptura serpentem illum revera inter animantia terræ enumerat, dicitque eum cunctis callidiorē, ac refert postea maledictionem ejusdem de gressu super pectus, comestione terræ & inimicitis serpentis adversus homines; hi autem horrent serpentes & contritos cupiunt, è contra serpentes insidiantur calcaneo satagentes toxico suo nocere; quæ omnia non essent vera, nisi per serpentem illum intelligeretur verus & & realis serpens, & non solum apparens & larvatus, ut quidam tortè nimis scripturam exponentes, volunt: ergo &c.

Prob: etiam 3. S. August. *l. 14. de Civit. c. 11. lib. 11. de Gen. ad litt. c. 27.* Diabolus in serpente ipse locutus est, utens eo velut organo, movensque
ejus

eius naturam, eo modo, quo verè ille movere & moveri illa potuit, ad exprimendos verborum sonos & signa corporalia, per quæ mulier suadentis intelligeret voluntatem; in ipsa verò muliere, quia illa rationalis creatura erat, quæ motu suo posset uti ad verba faciendâ, non iste locutus est, sed ejus operatio atque persuasio, quamvis occulto instinctu adjuvaret interius, quod exterius egerat per serpentem: ergo &c.

DICO II. ad tentandum Protoparentes ex duobus maximè motivis impulsus fuit diabolus, scilicet ex superbia & invidia.

Prob: ex S. Bonaventura 2. d. 20. q. 1. Sic loquente: Mens diaboli ab his duobus vitiis possessa, videlicet superbiâ & invidiâ, videns hominem in statu, quo poterat cadere sub diabolicam potestatem, & in quo poterat ascendere ad supernam felicitatem, ex qua ipse ceciderat, ex superbia motus est & ex invidia, ut ipsum à superna felicitate impediret. Superbia quidem fuit motivum primum, invidiâ verò proximum, & immediatum; esto enim quod non posset dominium super hominem acquirere adhuc studuisset ipsum à Paradisi gaudiis impedire. Hæc S. Doctor. S. Augustinus lib. II. de Gen. ad litt. c. 14. nonnulli dicunt, ipsum ei (puta diabolo) casum à supernis sedibus accidisse, quod inviderit homini factò ad imaginem Dei; tunc contrariando dicit ulterius Augustinus: porrò hæc invidia sequitur superbiam, non præcedit; non enim causa superbiendi est inviden-

ria, sed causa invidendi est superbia; cum igitur superbia sit amor excellentiæ propriæ, invidia verò sit odium felicitatis alienæ, quid inde nascatur, satis in promptu est: amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coæquentur; vel inferioribus, ne sibi coæquentur; vel superioribus, quod eis non coæquetur; superbien- do igitur invidus non invidendo superbus est. Confimiliter S. Ambrosius lib. de Paradiso c. 12. S. Gregorius lib. Pastor: parte 3. c. 11. ergo &c.

DICO III. Sagaci ad decipiendum malitiâ primò diabolus mulierem tentavit, ut eâ expugnata facilius ipsummet impugnaret & expugnaret Adamum.

Prob: S. Augustinus 14. de Civit. c. 11. à feminâ parte scilicet inferiore illius humanæ copula incepit, ut gradatim perveniret ad totum, non existimans virum facile credulum, nec errando posse decipi, sed dum alieno cedit errori S. Ambrosius Serm: 15. in Ps. 118. docet: diabolo visum esse, quod amor mulieris fortior esset ad virilem animum subruendum, ac propria sua venena & diabolici insultus; audiatur textus: *serpens ille callidus & astutus ad consuendas nequitie sue artes fameis magis illecebris, quam suis commisit venenis, itaque femina virum, quem serpens tentare non est ausus, molli quâdam & conciliatricula amatorie sedulitatis affectione traduxit;* Et aliàs ut docet Odo lib. 3. moral. in Job, tentatio per fæminam est vehementior ac per diabolum, rem to-
tam

tam pulcherrimè remonstrat S. Doctor Seraphicus 2. d. 21. q. 3. ex duplici ratione ; prima est ex parte sapientiæ Dei, Dominus enim tali ordine permisit diabolum tentare, tum propter viri exercitationem, tum etiam ne mulier haberet excusationem, tum etiam propter eruditionem nostram ; NB. propter viri exercitationem, quia ipse adeò fortis erat & spiritali mente præditus, quod non solum poterat resistere serpentis tentationi, sed etiam suggestioni mulieris, & ideò fortiori tentatione permissus est tentari ; NB. propter mulieris verò removendam excusationem, primò debuit ab ipsa tentatio incipere, nam si vir primò peccasset, cum vir sit caput mulieris & dominetur ei, non esset multum mirandum, si mulier ei consentiret, imò magnum haberet excusationis colorem ; NB. propter nostram eruditionem, etiam hoc permissum est ; in illo enim modo tentandi sensibili cognoscimus nos modum & progressum tentationis invisibilis ; & sicut ille à serpente venit ad virum mediante muliere, sic ille à sensualitate pervenit ad superiorem portionem rationis mediante inferiori.

Secunda est ex parte astutiæ diaboli ; hic attendebat mulierem minoris sapientiæ, debilioris constantiæ, importunioris adherentiæ ; quia NB. minoris sapientiæ, erat facilior ad seducendum, & ideò diabolus seductor per eam voluit sibi facere transitum ad virum ; quia NB. debilioris constantiæ, facilior erat ad pervertendum, & ideò diabolus expugnator aggressus est hominis civitatem ex

58 *De homine in statu naturæ lapsæ.*

ea parte, ex qua erat aditus minus munitus; quia verò NB. importunioris adhærentiæ, cogitavit diabolus, quod si ipsa primò vinceretur, non quiesceret, quousque perverteret virum; unde dicitur de muliere, quod laqueus est venatorum, & sagenator ejus, vincula sunt manus illius; propterea diabolus astutus impulsor incepit à sexu femineo. Et sic patet, quod sicut dicit scriptura, per omnem modum congruum fuit tentationem incipi à muliere; tum quia hoc diaboli astutia expectabat, tum quia hoc divina providentia disponebat. Hæc seraphicus Doctor: ergo &c. Post hæc

Petes: quomodo factum, quod Evæ cum diabolo colloquium non fuerit Adamo notum?

R. Fors Evam vix formatam statim recessisse ab Adamo, & per hortum excurrisse, eo nempe tempore, quo Adam cælestium orbium aspectu, totiusque naturæ consideratione, aut ipsius rerum omnium Creatoris Dei contemplatione totus detineretur, nec proinde mulierem sibi à Deo traditam, prout maritum decebat, sedulo curaret & detineret; unde doceantur aliæ conjuges de facili non recedere à viris, ne fortè in serpentes & tentatores incidant; utinam hæc prima mulier se observasset, & nec pedem extra mariti conspectum extulisset, atque non incautè cum serpente sermonem instituisset, utinam nec sui videndi copiam fecisset serpenti, nec serpentem ipsa vidisset! ab aspectu enim ad sermonem, à sermone ad inobedientiam, & ab inobedientia ad interitum funesto gressu processit.

QUÆ-

QUÆSITUM II.

*Cur, & qualis lex fuerit à Deo
Protoparentibus præscripta, non come-
dendi de fructu arboris sci-
entiæ boni & mali ?*

DICO I. *Illæ lex divina in ratione cautionis
Protoparentibus propriè solum esum de
fructu arboris scientiæ boni & mali prohibebat
non item visum aut tactum illius.*

*Prob. Gen. 2. v. 17. Deus legem illam Ada-
mo sic imposuit: ex omni ligno Paradisi comedere,
de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas:
at in his verbis solus esus propriè in ratione cauti-
onis prohibebatur, non verò visus aut tactus: ergo.
&c.*

*Respondent: Tamen Eva Gen. 3. serpentem
alloquens dixit: de fructu lignorum, quæ sunt in
Paradiso, vescimur; de fructu verò ligni, quod
est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne co-
mederemus, & NB. ne tangeremus illud. Contra:
Interpretes S. Scripturæ fatentur passim illud: ne
tangeremus solum ab Eva fuisse additum idque
propterea, ut magis exaggeraret præcepti gravi-
tatem; jam enim tunc Evæ serpentis persuasio-
ne interius corruptæ, præceptum illud displicere
cæperat; haud secus ac mulier, inquit Cajeta-
nus, prohibita à Marito, ne domum exeat, respon-*

60 *De homine in statu naturæ lapsæ.*

spondet: mihi non licet per maritum meum extra cubiculum vel pedem efferre; exaggerans nempe displicentiam propter præceptum mariti; Ita ferè Eva exaggerando divinum præceptum dixit: non esse sibi licitum tangere fructum illius arboris.

Dixi in assertione notanter: *proprie solum esum &c.* id est directè & sub gravi culpa, cum quo stat indirectè & concomitanter Deum prohibuisse etiam ea, quæ viam sternebant Protoparentibus ad ipsum esum v. g. curiositatem mulieris, aspectum & tactum illius fructus. &c. propterea dum Eva superius recensita verba in alloquio ad serpentem dixerat, jam tunc quoddammodo verè diabolus in ejus animum irreperat; *imprimis* excitando in ea cupiditatem vanissimæ libertatis; *Secundò* inspirando illi tædium & odium talis præcepti, unde factum, mulierem in falsam illius præcepti exaggerationem prorupisse; hinc peritè observat Rupertus *lib. 3. de Trinit. c. 5.* Evam tribus modis Dei verba pervertisse, quibus divinum hoc præceptum præscripserat; tum per *additionem*, cum dixit: *ne tangeremus*; tum per *diminutionem*, cum dixit: *ne fortè moriamur*, adjunxit enim de suo illud *fortè*, quod utique Deus non dixerat; tum per *mutationem* cum dixit: *ex ligno, quod est in medio Paradisi*, non solum dixerat Deus: *ex ligno scientiæ boni & mali*; in medio enim Paradisi etiam erat arbor vitæ non prohibita homini. Atque ex hinc

Infer-

Infertur cum Cajetano, diabolicum venenum tam in affectum, quàm in intellectum mulieris irrepisse; in affectum quidem, per displicentiam præcepti, unde mox prodijt exaggeratio vinculi & obligationis ejus; in intellectum verò, per hæsitationem futuræ pænæ, unde prodijt illa vox: *ne fortè*. Imò quidam cū S. Gregorio Nazian. *orat.* 38. planè volunt, in lege illa sub ratione cautionis etiam tactum propriè, uti & esum fructus de ligno scientiæ boni & mali comprehendit; saltem venialis culpa, dictis nostris conformiter, non videtur abfuisse.

DICO II. *Illæ lex divina in ratione sanctionis seu determinationis pænæ transgressoribus propriè portendebat (1.) mortem jam jam denuntiata (2.) & animæ (3.) & corporis.*

Prob. 1. p. Gen. 2. in quâcunque die comederis ex eo, morte morieris, quibus verbis Deus manifestè Adamo denuntiavit, certissimum mortis exitium, inquit Pererius *lib. 4. c. 4.* volens eum ejusmodi minis & pænæ periculo velut quodam fræno cohibere: ergo. &c.

Prob. 2. p. S. Gregorius Papa lib. 6. epist. 31. Si enim Adæ, qui primus peccavit, anima in peccato mortua non est; quomodo de ligno vetito ei dictum est: in quâcunque die comederitis ex eo, morte moriemini? & ecce comedit Adam & Eva de ligno vetito, & tamen in carne sua ultra nongentos annos postmodum vixerunt, constat igitur quod in carne non est mortuus; si ergo in ani-

62 De homine in statu naturæ lapsæ &c.

anima mortuus non est, falsam sententiam de illo protulit Deus, qui dixit: quia quâ die comederet, moreretur: ergo. &c. Deinde ut constat ex Trident. ss. 5. can. 1. Adamum per peccatum revera amisisse sanctitatem & justitiam, & per offensam incurrisse indignationem & iram Dei: adeoque ipiritualiter mortuum. Attamen superiori textu non sola mors animæ fuit designata cum peccatum propriè non sit pænæ inflictio, sed ipsius pænæ demeritum; Unde

Prob. etiam 3. p. S. Augustinus 13. de Civit. c. 23. eo quippe die mutata in deterius est, vitiatâque natura, atque è ligno vitæ separatione justissima, mortis in eis etiam corporalis necessitas facta est, cum qua nos necessitate nati sumus &c. ergo propriè & præcipuè mors corporalis fuit Protoparentibus denuntiata, quàm illo ipso die, quo peccarunt passi sunt, non quidem, quod revera tunc actu statim fuerint mortui, sed quod mortalitati fuerint addicti. Atque ex hinc

Infertur multum conveniens fuisse, quod lex Protoparentibus imposita, partim esset observatu difficilis, ut idoneam bene merendi de Deo homini materiam subministraret; partim facilis, nè si nimis fuisset ardua & dura, tristitiam & molestiam attulisset homini, quod utique fælicissimo innocentiae statui minimè congruebat; difficultas autem illius versabatur in hoc: tum quod lex illa de non edendo ex dicta arbore minuere videretur hominis libertatem; tum quod per illam legem

gem homini prohiberetur esus ex arbore maxime spectabili, visuque pulcherrimâ ad cuius fructum concupiscendum plurimis illicitis humanus animus provocabatur; *Facilitas* verò constabat in hoc, tum quod solum unius arboris esus prohiberetur, de cæteris arboribus fors æqualis pulchritudinis, suavitatis, utilitatis, imò etiam longè præstantioris, ut patet de arbore vitæ; tum quod factâ comparatione probationis Adæ cum tentatione ac probatione vel Abrahæ, vel Jobi, vel SS. Martyrum, illius legis *facilitas* evidenter sit manifesta.

QUÆSITUM III.

Quonam in specie mortali peccato Protoparentes divinam Legem sibi præscriptam primario violaverint?

Dico I. *Eve primum & radicale peccatum mortale fuit inordinatus sui ipsius amor, seu complacentia, ex qua velut ex vitiata radice germinavit superbia, sive inordinatus appetitus divine Excellentie non quidem simpliciter quoad æqualitatem, sed secundum quid quoad quandam similitudinem.* ita Frassen Tr. 3. d. 3. a. 1. q. 2. Herinx d. 6. q. 12. n. 102, in re communior.

Prob. S. Augustinus II. de Gen. ad litt. c. 30. neque enim verbis serpentis crederet mulier,

64 *De homine in statu naturæ lapsæ.*

lier, nisi jam inesset menti NB. amor ille propria potestatis & quædam de se superba præsumptio.

14. de Civit. c. 13. docet: Esum fructus vetiti, non fuisse primum Evæ peccatum, sed prius eam fuisse interius depravatam, ac in apertum scelus profiliiret; illam autem interiorem depravationem contigisse per internam complacentiam in suis perfectionibus, dein ex illa complacentia profiliisse in affectum superbiæ, indéque factum fuisse, quod Eva divinam scientiam fuerit æmulata, & sic secutum vetiti fructus esum & apertam divinæ legis transgressionem; atque adeò primum radicale peccatum mortale Evæ fuit nimia complacentia in suis perfectionibus, & sui ipsius amor inordinatus, ex quo formalis actus superbiæ exsurrexit, cum hoc tamen stat, superbiæ esse primum peccatum omnium cæterorum, intellige primitate cognitionis & quoad nos, non verò primitate originis & in se, sic enim originatur in inordinato amore seu complacentia sui ipsius. Et alias dum dicitur, initium omnis peccati esse superbiæ, intellige genericè & interpretativè, non verò specificè & explicitè.

Dixi notanter in assertione: *non quidem simpliciter &c.* tum quia absolutè impossibile erat, esse Deo similem secundum æqualitatem & essentiam, igitur ejusmodi æqualitatem ne quidem apprehendere potuit Eva, ut possibilem sibi, quapropter appetierit solum esse Deo similem secundum

Secundum quandam imitationem & excellentiorem participationem scientiæ, quam putabat se ex usu fructûs vetiti obtenturam esse, qualem facile sibi potuit ut possibilem apprehendere.

DICO II. *Adami primum & radicale peccatum mortale fuit inordinatus amor amicitie uxoris Eve.* Scotus 2. d. 21. q. 2. n. 2. cum suis communiter contra Themistas & multos RR.

Prob. S. Augustinus 11. in Gen. ad litt. c. 42. *ideo comedit, quia noluit contristare eam, quam credebat sine suo solatio contabescere, & à se alienatam omninò interire.* & c. ult. *Adam non carnali concupiscentiâ victus, sed amicabili quâdam compulsus benevolentia, quâ plerumque fit, ut offendatur Deus, ne offendatur amicus, peccavit;* ergo primum Adæ peccatum mortale fuit inordinatus amor amicitie seu conjugalis benevolentie; hinc S. Scriptura Gen. 3. omnium primò Adæ exprobratur: *quia audisti vocem uxoris tue* (en! radicem malorum; debuisset enim ad se accurrentem cum fructu vetito statim reprehendere, & non dissimulantius ex affectu audire) *& comedisti de ligno* (en! consummationem, quia tandem omninò obedivit) nec fecit Scriptura in exprobratione illâ alterius mentionem, conjugis igitur amore, plusquam Dei timore allectus Adam primò omnium captus deliquit.

DICO III. *Adam & Eva insuper peccarunt graviter peccato infidelitatis, amittendo fidem supernaturalem, adeoque labendo in heresim.* ita

66 De homine in statu naturæ lapsæ

multi SS. PP. allegandi: Joannes Lincæus, Wiggers, Sinnich, omnes tres Doctores & Professores Lovanienses cum & apud Broudinum *hic sect.* 2. contra Suarez.

Prob. Tertullianus l. 2. adversus Marcion. c. 12. *illud ipsum Adæ delictum, quis dubitabit haresin pronuntiare, quod per electionem suæ potius, quam divinae sententiæ admisit?* S. Ambrosius epist. 33. ad Marcellinam sororem sic Deum adducit Adamum alloquentem: agnoscis te nudum, quia bona fidei indumenta perdidisti? S. Augustinus 14. de Civit. c. 17. *hoc itaque cognoverunt quod felicius ignorarent, si Deo credentes & obediētes, non committerent, quod eos cogeret experiri infidelitas & inobediētia, quid nocerent.* lib. contra collatorem c. 9. *perdidit Adam fidem, perdidit continentiam, perdidit charitatem.* S. Fulgentius 2. de incarnat. c. 22. ubi sic de Adamo: *perdidit fidem, perdens fidem perdidit divinam protectionem; scriptum est enim: qui non credit Deo, non protegetur ab eo: ergo. &c.*

Respondent: Si primitus Adam perdidit fidem: ergo primum peccatum fuit non inordinatus amor, sed infidelitas. *Contra:* Solummodo dicitur primitus perdidisse fidem, quatenus inter multa vitia, quibus amor ille scatebat, eminebat infidelitas seu apostasia, ut proinde originale peccatum exprimitur subinde in Scriptura pluraliter v. g. ps. 50. *in peccatis concepit me mater mea;* unde

unde S. Augustinus in Enchirid. c. 45. in illo uno peccato, quod per unum hominem intravit in mundum. Rom. 5. possunt intelligi plura peccata si unum ipsum in sua quasi membra dividatur singula; nam & superbia illic fuit, quia in sua potestate esse, quàm in Dei potestate homo dilexit; & sacrilegium, NB. quia Deo non credidit; & homicidium, quia se ipsum præcipitavit in mortem; & fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humana, serpentina persuasione corrupta est; & furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est; & avaritia, quia plus, quàm illi sufficere debuit, appetivit.

Respondent alij: Solùm illos esse hæreticos, qui cum pertinacia adversantur veritati divinitus revelatæ; sic autem non fecisse Adam & Evam. **Contra:** Adam & Evæ non erat incertum, sed apertissimum, quod Deus ipsis mortem fuerit comminatus, si de fructu vetitæ arboris comederent: ergo fidem dantes diabolo dicenti: *nequam moriemini &c.* fidem negârunt illi, qui dixerat: *de ligno scientiæ boni & mali ne comedas, quâcunq; enim horâ comederis morte morieris;* cû tamen hæc veritas ceu articulus fidei ab eis teneari debuisset; aliàs solùm illi non essent hæretici, qui adversarentur veritati, cujus revelatio divinitus facta esset incerta & dubia.

DICO IV. Peccatum Adami & Evæ malitiâ intrinsecâ (1.) non fuit omnium peccatorum gravissimum (2.) fuit tamen peccatum Evæ intrin-

68 *De homine in statu naturæ lapsæ.*

secè seu specificè gravius peccato Adami, atque hoc è contra (3.) extrinsecè gravius peccato Evæ. ita Scotus 2. d. 21. q. 2. à n. 3.

Prob. 1. p. Ratione Scoti cit. sub n. 3. gravitas peccati colligitur vel ex eo, quod opponatur intensiori seu perfectiori bonitati, vel ex eo, quod sit contra bonitatem magis necessariam, hoc est, contra illam, quæ pluribus præcipitur præceptis: at ex neutro capite peccatum Protoparentum fuit omnium aliorum peccatorum gravissimum; non quidem ex primo; cum utique bonitas seu perfectio divini amoris præstantior sit ac bonitas obedientiæ, major enim omnium virtutum est charitas, hinc gravius est odisse Deum, ac non obedire Deo; nec ex secundo Capite, cum unum tantum præceptum de non edendo fructu vetito violârint, peccata autem, quæ fiunt à posteris Adami contra præcepta Decalogi, sunt peccata quæ præcipiuntur pluribus præceptis naturali scilicet & positivo: ergo &c. Deinde peccatum Adami fuit vel maximè amor inordinatus suæ uxoris: at iste amor non erat per se contrarius præcepto de diligendo Deo, quod est maximum, nisi eâ ratione, quâ etiam cætera peccata opponuntur illi præcepto; nec erat per se contrarius secundo præcepto de diligendo proximo, prout contrariatur eidem ipsummet odium proximi; quis enim dubitet, gravius esse proximum odio habere, ac ipsum diligere cum excessu? ergo &c. Denique blasphemia specie intrinseca est gravius pec-

peccatum, ac amor inordinatus, quo Adam dilexit Evam, aut ipse esus fructûs prohibiti; quia blasphemia est contra præceptum legis naturæ & primæ tabulæ, quo præcipitur Deus amandus & honorandus, & esus ille tantum fuit contra præceptum positivum obedientiæ & dilectionis proximi: ergo peccatum Adami fuit minus grave, ac plura peccata posteriorum, unde Scotus deducit, quod si Adam fuisset damnatus propter illa peccata, multò minorem luisset pœnam, quàm plures alii damnati.

Prob: 2. p. Eva præter propria peccata superbiæ, gulæ, infidelitatis, adhuc ad peccandum induxit Adam: ergo intrinsecè ac specificè peccatum Evæ fuit gravius peccato Adami; & quidem usque eo gravius (inquit S. Chrysostomus epist. 3. ad Olymp.) ut collatum Evæ peccatum cum Adami peccato, ne peccatum quidem existimetur, quia vir non est seductus, sed mulier, quæ in fraudem impulsæ fuit, ac Dei legem violavit, & sibi ac marito venenatum poculum temperavit.

*Prob: etiam 3. p. ex Doct. Subt. sic discurren-
te sub. n. 4. peccatum potest aggravari ex circum-
stantia accidentali propter excellentiam personæ
& dignitatem, quæ ex hoc magis debet præcavere
peccatum; item propter fortitudinem & possibili-
tatem resistendi; ideo dicit Magister in littera,
quod quia Adam exteriori tentatione pulsatus ce-
cidit, tanto gravius plectendus erat, quanto leviori
impulsu erat prostratus; tentatio enim carnis dif-*

70 De homine in statu naturæ lapsæ.

facilius vincitur, quia de nostro contra nos roboratur. Quia igitur Adam fuit circumspectior & nobilior & fortior ad resistendum, ideò per accidens suum peccatum fuit majus. Denique tradita fuit Adæ iustitia originalis tanquam digniori & circumspectiori & fortiori, ita quod si eam perderet, pro se & tota sua posteritate perderet; non sic autem fuit tradita mulieri; ideo Adæ peccatum fuit accidentaliter gravius peccato Evæ; formaliter tamen per se merè & præcisè in se peccatum Evæ fuit gravius. Atque ex hinc

Infertur quod si Adam post lapsum Evæ restitisset tentationi, peccatum Evæ nil nocuisset Posteris, ut constat ex hoc Scoti textu, ac cõmuniõri SS. PP. & Theologorum opinione apud Broudinum, ac non obscure colligitur ex illo Rom. 5. *per inobedientiam NB. unius hominis, peccatores constituti sunt multi, & non per inobedientiam duorum*; quia ut ait S. Bonaventura 2. d. 21. a. 3. q. 1. Sicut principium propagationis carnalis principaliter residet in solo viro, ita conveniebat, ut in eo solo resideret potestas moralis, quasi influendi in posteros iustitiam originalemediante propagatione cõmunicandam; propterea attento Protoparentum peccato ex parte ipsiusmet peccantis planè gravius peccavit Adam quàm Eva, tum propter donorum excellentiam, tum propter illius statûs præidentiam seu prælationem quam habuit in mulierem, tum vel maximè propter gravissimum ratione solius Adamici peccati illatum dam-

damnum toti posteritati; attento verò peccato præcisè ex parte sua & in se, gravius multò peccavit Eva quàm Adam, tum propter impietatem in Deum, tum propter iniquitatem in proximum; Deum enim suâ ambitione inhonoravit, & proximum suâ suggestionem deiecit. Meritò proinde Protoparentibus dixit mellifluus Doctor Homil. 2. super missus est; sicut omnium parentes, ita omnium fuistis Peremptores, & quod infelicius est, prius Peremptores, quàm Parentes.

QUÆSITUM IV.

Quenam in specie pænæ Protoparentibus, eorumque posteris propter divinæ Legis prævaricationem fuerint irrogatæ?

Dico I. Dominus Deus ante animadversionem in Protoparentes maledixit dictando varias pænas (1.) tum illi vero & reali serpenti (2.) tum ipsimet diabolo ceu illius serpentis motori & ex illo locutori, imò qui fuerat tunc quasi anima serpentis. S. Ephrem, Barcepha, Tostatius, Pererius.

Probatur assertio de larando textum S. Scripturæ: Gen. 3. v. 14. & ait Dominus ad serpentem, tunc utique præsentem coram Deo, Adamo & Eva; nam licet post tentationem diabolus reliquisset serpentem, isque huc illucque reptaret,

Dei tamen nutu fuerit directus ad locum, in quo Adam è latebris à Deo evocatus, coram Deo prodiit, maximè quod locus tentationis serpentis à loco latebrarum Adæ non multùm distaret, mox enim ut Adam tentatus lapsus est, tegumentum & vicinas latebras quæsiuit; *quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia*; non quidem ac si ipse serpens aliquod patrasset scelus, hujus enim author unicus erat diabolus, sed quia eidem organum fuit, & ruinæ hominum instrumentum, atque virtute hujus maledictionis serpens cæpit esse præ omnibus animantibus præsertim homini abominabilis, horridus, venenatus & noxius, cum quo post peccatum naturalem nunc habet antipatiam, qui ante peccatum specialiter præ cæteris homini familiaris, blandus & placitus erat, ut habet S. Damascenus lib. 2. de fide orthodoxa c. 10. *super pectus tuum gradieris & terram comedes &c.* esto ante tentationem Evæ serpens non erectus (ut volunt quidam cum S. Basilio) sed super pectus graderetur reptando per cavernas & terram comederet, utrumque enim illi naturale fuerat, pro tunc autem necdum erat abominabilis & infamis, sed suus ei inter alias bestias erat locus & dignitas, at verò post tentationem & deceptionem Evæ, factus est invisus, infamis, & abominabilis homini, atque reptare, lucem fugere, antra sequi, terram comedere, quæ prius illi erant naturalia, jam eidem sunt confirmata in pænam & ordinata in infamiam, sic mors quæ ante peccatum
 homi-

homini, utpote ex Elementis contrariis composito, naturalis erat, licet eximio & mirabili Dei beneficio in statu innocentia fuisset à morte præservatus, nunc verò post peccatum cæpit homini esse pæna peccati; sic etiam iris antea naturalis, post diluvium cæpit esse signum pacti inter Noë, hominesque & Deum. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius;* id est genus humanum, cui serpentes odiosi sunt & averfandi, ita ut ad eorum, post hanc divinam interminationem, hominum quilibet contremiscat & fugiat; factus igitur tunc fuit serpens homini noxius & læthalis, ac vicissim homo cæpit fieri serpenticida, cum tamen ante peccatum nec antipatia, nec horror, nec odium, nec nocendi studium ullum fuisset inter hominem & serpentem; *Cæterum* ait Aristoteles apud Cornelium à Lapide, hominis salivam ita cruciare serpentem ut si tangat fauces (quibus Evam tentavit) eum occidat: tandem *ipse conteret caput tuum;* nam experientiâ constat, inquit Rupertus lib. 3. c. 20. quod si mulier plantâ nudâ dentem serpentis prævenerit, & ejus caput presserit, statim cum capite totum corpus occidi, quamvis aliàs, si ejus caput gladio appetatur, aut quodam malleo quatiatur, difficile sic possit conteri, ut statim totum corpus emoriatur; *& tu insidiaberis calcaneo eius;* solent enim serpentes propriè in sylvis & pratis latitantes ac sæpe in quibusdam angulis juxta viam non apertâ vi sed dolis se ulcisci, atque à tergo in-

74. *De homine in statu naturæ lapsæ.*

cautos mordere, & percutere in calce, indeque in totum corpus veneno proserpente occidere, ut loquitur Rupertus :

Atqui hæc omnes pænæ reipsâ non tantum vero illi & reali serpenti solùm instrumentaliter peccanti secundùm litteram conveniunt, sed etiam diabolo principaliter seu formaliter tunc peccanti, utpote qui tunc fuit motor & quasi anima serpentis, quatenus ipse diabolus veluti utens serpente ceu instrumêto, ad ipsiusmet serpentis pænas dolore quatiebatur, haud secus, ac si quis musicum instrumentum infringat, quo afficiat dolore eum, qui illo ad musicandum utebatur ; ita Deus maledictis feriebat serpentem, quo diabolum, qui per eum locutus fuerat, generali quodam dolore angeret ; prout etiam Christus legionem dæmonum afflixerat, porcos perdendo ; ergo &c. Pænas verò omnes in specie serpenti litteraliter & à parte rei materialiter inflictas, sine dubio solùm allegoricè & symbolicè possumus etiam diabolo adscribere, ut pulchrè habet Cornelius à Lapide hîc.

DICO II. Dominus Deus in ipsa animadversione Protoparentum in specie Evam, ejusque feminas posteras triplici pœna punivit, scilicet ærumnarum multiplicatione in multitudine conceptuum ; dolore in partu ; subjectione ad viri potestatem. Ita Gen. 3. v. 16.

Probatur declarando : cum & ex Ruperto lib. 3. de Trinit. c. 22. triplici autem pœnâ punitur

mulier, inquit ille, quia triplo majus fuit peccatum ejus, quàm Adami; primò quia credendo serpenti plus quàm Deo, seducta est; secundo, quia ligni vetiti pulchritudinem & suavitatem delectabiliter concupivit: Tertiò, quia non contenta transgressione propriâ, virum quoq; ad transgressionem induxit; merito igitur triplici peccato triplex vindicta, præter communem sibi cum viro mortem, reddita est; nam quia serpenti credidit dicenti, eritis sicut Dii, justè ipsa contra hoc, quod Deus vivorum est & non mortuorum, non vivorum sed mortuorum mater esse meruit, dicente Deo: multiplicabo conceptus tuos; omnis enim conceptus ejus animâ & corpore in peccato moriuntur, & nemo eorum vivit, nisi vivificetur per Christum. Item quia visâ illius arboris pulchritudine intemperanter fructum ejus expetivit, pro illo visûs delectamento contrarius redditur uteri dolor: in dolore, inquit, paries. Tertiò, quia virum importunitate muliebri ad comedendum illexit, idcirco sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tui; ita pro seductione conceptuum multiplicitas, pro gula oblectamento uteri dolor, pro temerario imperio & scandalo, quod viro exhibuit, servitutis viri pena reddita est; Hæc Rupertus. Atque ex hinc

Infertur per arumnas conceptuum intelligi, fordes & fluxus menstruos ipsam conceptionem antecedentes; deflorationem, pudorem, dolorem in ipsa conceptione intervenientes; immunditiam, factorem, retentionem menstrui, incontinentem

76 *De homine in statu naturæ lapsæ.*

appetitum, pondus prolis per novem menses, fastidia, spasmos, & plurima alia pericula ipsam conceptionem consequentes; *per dolorem partûs* intelligi, illam difficilem continuarum partium divulsionem, ubi acrior dolor intervenit, ac in partu cujuscunque animalis; atque hæc miseræ eò magis multiplicantur, quò frequentius conceptus mulieris in pœnam peccati repetuntur; unde Rupertus 3. de Trinit. c. 22. *non est multiplicatio (scilicet conceptuum) benedictionis, sed damnationis, non gratia sed ira; non clementiæ sed vindictæ, unde non dixit tantùm: multiplicabo conceptus tuos, sed insuper addidit, & ærumnas tuas, mulier quippe quantò facundior, tantò ærumnosior. Igitur*

Sperne voluptatem, nocetempta dolore voluptas. Denique per subjectionem sub viri potestate intelligi, quod nunc sit subjecta viro uxor, non ut prius sponte, libens, mirâ suavitate & concordia, sed sæpe invita cum magna molestia & repugnantia.

DICO III. *Dominus Deus in illa ipsa animadversione Protoparentum etiam in specie Adam ejusque posteros triplici pœnâ punivit, scilicet maledictione terræ, spinarum & tribulorum germinatione, victûs rigore, & parcitate in laboribus. Ita Gen. 3. à v. 17.*

Probaturs declarando: quia Adam audivit &c. id est obedivit uxori suæ, maledicta fuit terra, non quidem absolutè, sed in opere suo, puta, etsi Adam labo-

laborando & sudando coluerit terram, hæc tamen illi paucos dabit fructus, imò sæpe spinas & tribulos, quos licet terra probabilius etiam ante peccatum germinasset, tamen ea germinatio tunc homini non fuisset pænalis, sed animalibus his utentibus jucunda & utilis, vel aliàs ad terræ ornatum, vel ad elevandum hominem ad laudem Dei ex multiplici creaturarum genere profuissent, defacto autem est pænalis, quia productionem seminum utilium impediunt, eorumque loco pluries enascuntur, quibus non pascitur, sed læditur homo; hinc est per peccatum primævam terræ bonitatem & fertilitatem planè quodammodo impeditam, & imminutam videri; propterea etiam Israëlitis sæpius Deus ob peccata eorum per Prophetas minabatur Cælum æneum & terram ferream, & etiamnum hodie sæpe Deus urbes & regna ob peccata sterilitate punit. Atque ex hinc

Infertur Sapientissimè Dominum Deum non maledixisse Protoparentibus sicuti serpenti; tum quod ipsos prius suâ benedictione veluti consecrârit, tum quod per agenda pænitentiam essent recuperaturi, gratiam sanctificantem, tum quod Christus naturam humanam esset aliquando assumpturus; *Deinde* maledixisse terræ, & non aquæ aut alteri elemento, quod de fructu ex terra oriundo contra vetitum manducârint.

DICO IV. Dominus Deus factâ animadversione in Protoparentes ejecit eos ex Paradiso voluptatis probabiliter feriâ sextâ hebdomada secur-

78 *De homine in statu Naturæ lapsæ.*

da, horâ tertîâ pomeridianâ, postquam scilicet à sui procreatione non uno solùm die, sed octo diebus in Paradiso fuissent dimorati. Communior inter SS. PP. ut vult Pererius, Frassen, Herinx &c.

Prob: S. Augustinus l. 11. de Gen. c. 31. & l. 2. de peccat. merit. & remis. c. 21. docet: primos parentes ante peccatum usos fuisse cæteris Paradisi fructibus: ergo amplius ac uno die in Paradiso fuerunt; S. Gregorius lib. 4. Dialog. c. 1. in Paradiso assueverat homo verbis Dei, & beatorum angelorû spiritibus, cordis munditiâ ac celsitudine visionis interesse, quod uno die non videtur potuisse fieri, Deinde, si tam exiguo tempore in Paradiso fuissent dimorati Protoparentes, nulla esset ratio, cur serpens quæsiuisset: cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno Paradisi? siquidem hoc clarè monstrat, serpentem observâsse eos ex omnium arborum fructibus edere solitos, præter unum arboris scientiæ boni & mali fructum, à quo religiosè videbat sese abstinere, quod utique Eva confirmâsse videtur serpenti respondens: de fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso vescimur &c. quid enim est vescimur, nisi solemus vesci? est tamen verum hebraicè legi: vescemur.

Confirmat assertionem Pererius q. 2. in 3. c. Gen. ex eo, quod non consentaneum videatur, tam multa & varia, quæ inter procreationem Protoparentum eorum ejectionem narrantur facta, intra unum diem coarctari; nam sexto die inprimis

nis procreata sunt animalia terrestria, tum homo extra Paradisum, postea in Paradisum introductus accepit à Deo præceptum abstinendi ab arbore scientiæ boni & mali: Dein ducta sunt ad eum animalia, quorum singulis consideratâ cujusque eorum vi & naturâ, sunt ab eo imposta congruentia nomina, & cum in illis nullum ei reperiretur idoneum ad Societatem vitæ prolisque generationem adjutorium, ex Adami altissimo somno sopiti latere formata est Eva; adhuc nudi versabantur ambo in Paradiso sine ullo aut nuditatis pudore, aut externi incommodi vel molestiæ perpeffione; post hæc consecutus est sermo inter serpentem & Evam utro citroque habitus, nempe, ut credibile est multo longior, ac à Moyse commemoretur. Porrò Eva serpentis decepta promissis arborem vetitam adiit, ejusque curiosè spectatâ & consideratâ pulchritudine decerpfit fructum, comedit, perrexit ad virum, & suis blanditiis eum pellexit ad comedendum; quo facto cum eos protinus suæ nuditatis puderet, ad eam tegendam fecerunt sibi subligacula, auditâque Dei ad eos venientis voce, sese in medium Paradisi locum, densissimis opacum arboribus abdiderunt, unde Dei jussu egressi, uterque separatim à Deo interrogati, tandem puniti & extra Paradisum ejecti: atqui, dicit Pererius, tantam rerum molem quis credat, in unam diem commodè concludi potuisse? ergo &c. Atque ex hinc

Infertur: non rectè opinatos fuisse illos, qui qua-

quadraginta diebus, aut adhuc plus, quàm triginta tribus annis voluerunt Protoparentes in Paradiso dimoratos, eo quod Christus pro illorum gula eluenda totidem diebus jejunârit, aut triginta tribus annis vivens peccatum expiârit; nec enim credibile est diabolus, quem invidia humanæ felicitatis urebat, & flagrantissima cupiditas hominem deturbandi ex illo felici statu vehementer instigabat, adeo diu se continere potuisse, quin hominem oppugnare adoriretur, & per dolum ac fraudem circumvenire conaretur; nec adeò rectè opinatos illos, qui unico solùm die, imò sex tantum horis Protoparentes in Paradiso substituisse volunt; planè enim videtur eos tam brevi temporis spatio non potuisse illam Paradisi amœnitatem debità experiri, contemplari & degustare, quod tamen intra dies octo congruè potuerunt præstare; unde PP. dicentes Adam eodem die creatum & lapsum, intelligendi sunt loqui de eodem die, non numero, sed hebdomadæ, scilicet sexto recurrente. Post hæc

Ptes: an Protoparentes egerint pœnitentiam, sint gratiam consecuti, & Salvati?

R. Affirmativè: tum quia communis SS. PP. consensus & Ecclesiæ traditio sic docet, ut adeò Arriaga *d. 45. n. 40.* hanc veritatem de fide pronuntiet; tum quia S. Augustinus epist. 99. ad Evodium ait: *de illo quidem primo homine, Patre generis humani, quod Christus cùm descendit ad inferos, inde eum liberaverit, Ecclesia verè tota*

consentit, quod eam non inaniter credidisse credendum est, undecunque hoc traditum sit, etiamsi canonicarum scripturarum hinc expressa non proferatur autoritas; quanquam illud, quod in lib. Sap. 10. scriptum est: HÆC (nempe sapientia divina) ILLUM, QUI PRIMUS FACTUS EST À DEO, PATREM ORBIS TERRARUM, CUM SOLUS ESSET CREATUS, CUSTODIVIT, ET EDUXIT ILLUM À DELICTO SUO, ET DEDIT EI VIRTUTEM CONTINENDI OMNIA; hoc, inquam, quod ibi scriptum est, magis pro hac sententia, quam pro ullo alio intellectu facere videatur; Tum quia Adamum in Christo resurgente resurrexisse tradit Leo IX. c. hi duo de Consec. d. 1. tum quia meritò probabilissimum censet Arriaga cit. attentâ naturali scientiâ & bonitate complexionis, ac paucioribus peccandi occasionibus, Adamum deinceps cum adiutorio Dei graviter amplius non peccasse, & fortassis scripturam idcirco simpliciter dixisse: *eduxit illum à delicto suo*, puta in Paradiso commisso, veluti postremo; tum quia Deus non maledixit primis Parentibus, sed tantum terræ & serpenti; tum quia aliàs diabolus contra Deum gloriaretur, quod adhuc maneret invictus cum primis suis spoliis; tum quia Deus reprehendendo Evam nullatenus ipsi maledixit, sed potius post assignatas serpenti pœnas consolando illam, vocando ad pœnitentiam, magisque in spem veniæ erigendo promisit, nasciturum semen ex muliere, quo aliquando conteretur caput serpentis, qui eam ad

transgressionem divinæ legis induxerat; quin imò sunt, qui cum S. Augustino *Serm. 19. de sanctis* dicente: *si Adam se non excusasset, à Paradiso non exulasset*, non improbabiler existimant, quod si Adam interrogatus à Deo, ubi esset? & paternè tunc reprehensus, ad sinceram peccati confessionem & non ad frivolam excusationem se convertisset, derivando culpam in uxorem pellicientem, quin & in ipsummet Deum, qui talem ei dederat sociam uxorem, Deus se convertisset ad Adam, eique ignovisset, restituendo tam ipsi quam uxori originalem justitiam in posteros transfundendam; attamen contrarium teste Pererio est probabilius & verius, quia *Gen. 2. v. 17.* antequam Adamus gustasset fructum vetitum, sententia in eum jam fuit absolutè lata & confirmata his verbis: *in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris, id est, certissime morieris.*





PARERGA

Ex uniuersa Theologia

I.

DEVS *subjectivè ita est immutabilis, ut implicet, illum in se posse acquirere aut amittere quamcunque formam sive absolutam, sive respectivam.*

II.

Scientia Media *præterquam quod ex se non detur, Sin principiis insuper Scoti absolutè implicat.*

III.

Predestinatio *est merùm gratuita, Reprobatio autem non nisi ex prævisis demeritis.*

IV.

Relationes Originis *ex se formaliter sunt puræ entia non quanta.*

V.

Spiritus Sanctus *etsi per impossibile non procederet à Filio, tamen ab hoc realiter distingueretur.*

VI.

Primo mundi die Deus creando Cælum & terram, simul etiam creavit & Angelos in ipso Cælo empyreo.

VII.

Posset beatus intuitivè videre Essentiam divinam sine attributis & Personis, ac in Essentia
i:nam

unum attributum sine alio, & inter Personas unam sine altera sibi non correlativa.

VIII.

NEque ejusmodi visio foret specie diversa à visione, quàm defacto videt Essentiam una cum attributis & Personis.

IX.

Intellectus Beati (ceteris paribus) physicè perfectiores non solum possent, sed defacto ex natura rei intensivè perfectius vident objectum beatificum.

X.

Actus moraliter mali malitia consistit formaliter in privatione rectitudinis debite inesse.

XI.

Potest dari pura omissio peccaminosa sine omnino actu positivo.

XII.

Peccatum Originale quia ab Adamo seu Capite morali in Posteris seu membra transfusum formaliter est privatio tam justitiæ originalis debite, quàm gratiæ sanctificantis simul, ut adeò peccati originalis adequata ratio formalis consistat in privatione utriusque Simul.

XIII.

Omninò certum est, saltem moraliter, B. V. Mariam sic fuisse à transfusione peccati originalis exemptam, quod in primo suæ Conceptionis seu animationis instanti fuerit per gratiam sanctificantem ipsi divinitus infusam ab omni originali peccati macula privilegiosè preservata, adeoque in suæ Conceptione re ipsâ nullatenus contraxerit peccatum originale.

XIV. Qui-

XIV.

Quinimò *B. V. Mariae Voluntas* ad eò fuit à Deo privilegiata ab omni sui alligatione & inclusione in voluntate Adami, ut nullum proxsus debium sive proximum, sive remotum incurrendi originale peccatum contraxerit.

XV.

Sancta haec Immaculata Conceptionis sententia est materia sufficiens ad faciendum votum. inò ad subeundum martyrium pro illius defensione & cultu.

XVI.

IN Ordine Minorum nulla potestas Legislativa residet in Ministro Generali aut Provinciali extra Capitulum respectivè Generale aut Provinciale.

XVII.

IN materia absolutè & respectivè levi nullus superior potest ferre legem graviter obligantem; potest tamen & subinde debet in materia absolutè levi, at respectivè gravi.

XVIII.

Hinc lex capitularis apud nos prohibens bibere in edibus secularium, in loco ubi habemus Conventum, potest esse obligativa sub mortali, & defacto rationabiliter est talis.

XIX.

IN tali lege nullus Provincialis vi Officii, per se loquendo dispensare potest.

XX.

Lex tributorum & Vectigalium à Dominis terrarum ex iusta causa lata obligat in conscientia

*non tantum ad solvendum, sed etiam ad non solutum
seu defraudatum restituendum.*

XXI.

VT lex Canonica v. g. Pontificia obliget reipsa
omnes totius mundi fideles, non requirit sole-
mnem sui promulgationem in singulis Provinciis aut
Diocesibus singulariter faciendam, sed sufficit sola
solemnis promulgatio Romae facta, nisi Pontifex in
specie aliter exprimat in sua Bulla.

XXII.

Sacramenta physicè nec causant, nec causare pos-
sunt gratiam sanctificantem, sed solum morali-
ter instrumentaliter.

XXIII.

Probabilis & pia sententia est: quod in casu nul-
lus, sed ex pura malitia simulata tantum in-
tentionis interna ex parte Ministri, ad extra tamen
nullatenus manifestata, ubi Sacramentum vel est ne-
cessarium necessitate medi, vel saltem valde neces-
sarium ad hominum salutem & debitam Ecclesie
propagationem, Deus misericorditer acceptet, aliunde
intentionem suppleat, & saltem rem seu effectum Sa-
cramenti prestet.


XXIV.

Solum in casu necessitatis aut justæ aut rationa-
bilis utilitatis licet tam recipere, quam petere Sa-
cramenta à Ministro sua culpa indignè administra-
turo.

XXV.

Hoc currente anno, festo S. Antonii de Padua
incidente in solennitatem Augustissimi festi
Corporis Christi, & propterea transferendo, valde
probabiliter etiam transferuntur Indulgentie in il-
lum diem, in quem fit translatio, Rubrica Romana
conformiter, & *pro bono hominis*





The image shows the front cover of an antique book. The cover is decorated with a traditional marbled paper pattern, often called a 'stone' or 'shell' pattern. This pattern consists of irregular, wavy, and elongated shapes in shades of deep red, ochre yellow, and a muted blue-grey, all set against a lighter, off-white or cream background. The overall effect is a dense, organic, and somewhat chaotic texture. On the right side of the cover, there are two rectangular paper labels. The upper one is a small, light-colored label with the number '164' written in a dark, cursive hand. Below it is a larger, blank, off-white label. The edges of the book show signs of age and wear, particularly at the corners and along the spine area on the left.

164